HISTORIA
ANTIQUA
1599.

CXXV . j . 10

2459
38

2/6

Wood

Probably printed at Heidelberg

Lulu

—wh—

HISTORIA ANTIQVA
HOC EST,

Myrſili Lesbij
liber de Origine Italiæ & Tyrrhenorum.
M. Porcij Catonis
Fragmenta ex libris Originum.
Archilochi
liber de Temporibus.
Beroſi Babylonij
Antiquitatum lib. V.
Manethonis Ægyptij
liber de Regibus Ægyptiorum.
Metaſthenes Perſa
de iudicio temporum.
Xenophon
de æquiuocis.
Q. Fabius Pictor
de aureo ſaeculo, & de origine vrbis Romæ, eiuſque deſcriptione.
C. Sempronius
de diuiſione Italiæ.
Philonis Iudæi
Antiquitatum Biblicarûm Liber.

ACCESSIT
Cenſura GASPERIS VARRERII in BEROSVM
Ab eruditis pridem deſiderata.

Ex Bibliopolio Commeliniano.

Anno M D XCIX.

REVERENDO, PRÆSTANTISSIMOQVE VIRO, DOMINO ABRAHAMO SCVLTETO,

Amico plurimum obſeruando.

QVanto Muſarum amore flagres (Vir eruditiſſime) aperte cognoui non ſolùm ex pulcherrimis, accuratiſſimiſque ſcriptis, quæ conſona cum laude typis mandanda curaſti: ſed etiam ex literaria opera, quã olim Hieronymo Commelino, ſororio meo, beatæ memoriæ viro, atque exinde hæredibus poſtea egregie nauaſti. Eius rei Chryſoſtomum, & Athanaſium, teſtes ab omni aſſentationis ſuſpicione remotiſſimos appello, qui tuæ doctrinæ, iudicio, diligentiæ, fideique ſe plurimum debere fatentur, & palàm profitentur. Quorum præclarum teſtimonium res ipſa voce tam clara confirmat, atque collaudat, vt ne Momus quidem, qui cũcta dente liuido carpere ſolet, habeat, quod hic reprehendere valeat. Et illorum quidem nomine tibi gratias perpetuo agit habebitque eruditior orbis: Egoque etiam nunquam me officiorum à te peramanter in me collatorum immemorem arguere patiar: ſed tuam virtutem mẽte grata perpetuò fouens, eam apud omnes paſſim prædicabo: apud illos præcipuè, qui Myrſilum, & aliorum in hoc libello comprehenſorum autorum opuſcula tuo nomini dedicata legere non grauabuntur. De quorum excellentia nihil dicam, quòd eam vel cœcis notiſſimam eſſe certò ſciam. Tuum igitur erit minimè dubium mutuæ beneuolentiæ, & amoris pignus, atque monumentum, eadem animi alacritate nunc accipere, qua præſenti vides offerri. Vale Cl. V. meque tuæ pietatis, eruditionis, & officiorum obſeruantiſſimum, viciſſim, vt facis, ama. Cal. Aprilis 1599.

Tui officioſiſſ.

IVDA BONVTIVS.

MYRSILI LESBII LIBER

DE ORIGINE ITALIÆ ET TYRRHENORVM.

ITALIAM coluere Græci, Arcades, Veneti, Ligures, Ardeates, Rutuli, Siculi, Pelaſgi, Iapyges, Lacedęmones, Saletini, Pelij, Ceniani, Achæi, Oropitæ, Pylij, Piſi, & eiuſcemodi. Horũ primus Oenotrius Arcas cum Peucino fratre colonias tranſportauit, vbi habitabant tunc dicti Auſones, vbi nunc Oenotria regio eſt e regione Peucinorum. Hæc fertur prima colonia ex Græcis, paulo minus quindecim ætatibus ante ruinas Troiæ.

Tyrrhenis originem quidem ſuſpicantur fuiſſe a Lydis. Exiſtimãt enim Aty regi Mæoniæ, prognato Hercule & virgine Omphale filia Iardanæ reginæ Mæonũ fuiſſe geminos Lydũm & Tyrrhenum, cum regnum neq; duos caperet, & neq; terræ ſterilitas ingentẽ multitudinem pateretur, ſorte Atys iacta Lydum ſucceſſorem deſignauit, Tyrrhenum vero cum maiore parte populi ad quærendas nouas ſedes foras abire iuſsit. Is in ſeptentrionalẽ Tiberis partem veniens, eiusq; totam medietatem a fontibus vſque ad locum vbi erat priſcis Vmbris habitatio tenuit, & cum eis conſedit & cohabitauit, & vrbes dictas hactenus Mæonias & Tyrrhenias ædificauit. Sed hi aperta mendacia fingunt: nam de gentis antiquitate & origine magis creditur ipſi genti atque vicinis, quã remotis & externis. Magis igitur creditur ipſis Lydis & Tyrrhenis, atque his vicinis Romanis & qui conſentiunt in eorum patria hiſtoria & origine, quam quibuſuis alijs quamuis alias eruditiſsimis. Cęterum quæcunque hi patrij hiſtorici dicunt, aduerſantur ſupradictæ traditioni de Tyrrheno Mæone. Etenim Xanthus Lydus in patria hiſtoria, nullum Tyrrhenum Atym fuiſſe ſcribit, ſed geminos Lydum & Torebum, a quibus Lydos & Torebos in Aſia populos eſſe tradit: in nullo penitus differentes, niſi quadam prolatione, & quidem parua, vt Dores & Attici. Quis ergo ex Lydis hiſtoricis Tyrrhenum filiũ Atyos & fratrem Lydij miſit in primam medietatem Tiberis, vbi antiquiſsimis Vmbris fuit priſca habitatio? Quum etiam quod tradit de bello Pelaſgico Xanthus, aſſerit Pelaſgos antiquiores Aty aggreſſos bello Tuſciam, quæ quondam Vmbria dicta eſt, occupaſſe Cratonem, inde Tiberinam regionem inuadentes etiam ipſam Tyrrhenam cepiſſe, & cum Tyrrhenis cohabitaſſe, & ab eis plurimam militarem peritiam didiciſſe, præ-

cipue nauticam, qua tunc toti orbi erant admirabiles. De quibus fabulantur Græci, quod in Delphinos verſi ſint, qui nauibus alludunt, & his ſocij fiunt. Re enim vera tunc Delphini ob piraticam ſimul & dominium maris dicebantur: erant enim claſſe potentes, & vndiq; colonias tranſportabant. Argumento ſunt qui Tyrrheni dicuntur in inſulis Atticis, & faucibus Thraciæ. Namque Tyrrhena ſimul lingua, & cum quibus habitant loquũtur, & eoſdem deos vt Tyrrheni colunt, & iiſdem literis vtuntur. Quare non poſſunt dici ab aliquo Atyos filio, qui ante Atym Pelaſgumque regem inueniuntur dicti Tyrrheni, & multarum coloniarum autores eodẽ nomine atque ritu ante Atym præſcriptarum. Hæc a Lydis didicimus. Nunc quid de ſe Tyrrheni dicant eſt inferendum. Primum rident ſe ab aliquo aduena denominatos, qui ſe ſolos indigenas in Italia exiſtimant, atque a vetuſtiſſimi dei ſui, quem Ianum Vadymona vocant, filio Razenua nominant: Tetrapolim quoque ſuam Hetruriam, eiuſque partem Bolturſenam, Vetuloniam, Thuſſam: & Harbanum cognomine Calumbum a Lyco nuncupant: eamque a ſuo deo aureo ſeculo mox poſt inũdationem terrarum, nedũ ante Atym conditam aſſerunt. Nam & ab inundatione ipſa ſuum agrum ſua patria lingua vocant Saleombronem, vbi primũ geniti Vmbri. Producunt quoque ſua vetuſtatis veſtigia multa, vt deos, ritus, mores, literas, leges. Quæ profecto omnia congruunt his quæ probatiores Græci hiſtorici tradunt. Scribunt enim ſolos Tyrrhenos in Italia vetuſtiſſimos eſſe, qui neque ab alijs pendeãt origine, neque vt cæteri conuenæ & aduenæ, ſed propria regionẽ eſſe oriundos: quando quidem vetuſtiſſimis differant dijs & moribus nedum ab alijs Italiæ populis, ſed etiam a vicinis Crotonienſibus & Peruſinis a fronte, & a proximis Phaliſcis a tergo, quos inter medij iacent. Nam cunctis Tuſcis dij deæque ſunt Iupiter & Iuno: Soli Tyrrheni colunt Ianum & Veſtam, quos lingua ſua vocãt Ianib Vadymona, & Labith Horchiam. Ipſi quoque Romani fatentur Hetruſcos eſſe vetuſtiſſimos, & aureo ſeculo natos, a quibus aras, ritus, diuinationes, colonias & diſciplinas habuit priſca Italia, initio ſumpto a prima eorum tetrapoli dicta Hetruria, a qua illos Romani Hetruſcos cognominant. Non eſt igitur aduerſarijs vlla via, qua probent eos Tyrrhenos a filio Atyos habere vel nomen vel originem: ſed id nomen deſumpſiſſe a Turſibus. Quod ſi etiam ad hos venit Torebus filius Atyos, vtique non ab eo aduenæ nominati ſunt Tyrrheni indigenæ, ſed econtrario ab eis Torebus fuit cognominatus, Tyrrhenus a Græcis. Igitur etſi totam Italiam coluerint Græci, vt noſtri tradunt, ex ipſis tamen Lydis & Tyrrhenis vicinis que Romanis falſa eſſe oſtendimus, quæ contraria his de Tyrrhenis multi, vt diximus, conſcripſerunt.

M. POR-

M. PORCII CATONIS

EX

LIBRIS ORIGINVM FRAGMENTA.

GRÆCI tam impudenti iactantia iam effunduntur, vt quoniam his dudum nemo reſponderit, ideo libere a ſe ortam Italiam, & eandem ſpuriam ſimul & ſpurcam atquę nouitiam nullo certo autore aut ratione, ſed per ſolã inſaniam fabulentur. Quamobrem nunc vt cæteris Latinis viam faciam, quæcunque memoria prodita gentibus Italiæ ſunt & nunc Romano imperio ſubditis, Dijs volentibus ſcribere inſtituo.

ITaliæ ſplendidiſſima origo fuit cum tempore, tum origine gentis. Cœpit enim aureo ſeculo ſub principibus dijs Iano, Cameſe, Saturno, gente Phœnice & Saga: quę poſt inundationem terrarũ per orbem prima colonias miſit. Et de mundi quidem origine autores non paria ſentiunt. Nam Chaldæi ſibi ſempiternitatem perſuadent. Phœnicibus vero ac Sagis magis placet origo. Inter vtroſque conuenit, ante Ninum circiter annis L. & CC. quibus durauit aureum ſeculum, terras fuiſſe inundatas, & in Scythia Saga renatum mortale genus. Siue enim ab æterno mundum exiſtimes, & ignis principio cuncta tenuerit, et ſenſim in ſua loca elemẽta coeuntia homines produxerint: ſiue, vt fertur, ante aureum ſeculum terras ſubrutas inundatio poſſederit, & exiccata humo apparuerint homines, equidem principatus originis ſemper Scythis tribuitur, a quibus auctis colonias per orbem miſſas ferunt. Et ex his veniſſe Ianum, cum Dyrim & Gallis progenitoribus Vmbrorum, rateque cum colonis per Tiberim vectum, ad læuum Tiberis Hetruriam tenuiſſe locum, vbi colonias in continente primum expoſuit, & ipſum deum ſimul Vaticanum habitũ dictum, quę fuiſſe. Et regionem Vaticanam, id eſt vagicanam dictam; quod ibi Ianus quaſi in cunis natam primumque vagientem Italiam excepit. Inde cũ colonis a Vaticano progreſſum, in tractu Vmbriæ fundaſſe regiam, & fano Olympum foſſamque ſacraſſe, & auguſtalem Tyrrhenam non longe a regia dicaſſe: vbi ad ſalutandum regem XII. coloniæ nonis lunaribus conuenirent. Inde duodenis colonijs faſces ad continendos rudes ſcribunt, ſingulo prætoriano lictori quatuor & viginti armatis ingenuis diſtributis. Eas poſuit colonias ad ripas quidem Tiberinas Ianiculum, & Arin Ianum; ad ripas Arni totidem, Pheſulas, & itidem Arin Ianum. Ad ſitus Hetruſcum quatuor, Pheregenen, Volcen, Volaterram,

Cariaram, quæ & Latine Luna. In mediterraneis quatuor, Ogygianum, Aretium, Ruſellas, Volſinium. Paulo poſt dextrum Tiberis latus regulis ſuis permiſit Cameſi, a quo Cameſenæ duæ, & Saturno, a quo Saturia olim, quod nunc Capitolium, & ab ea late Saturnia terra. Hæc prima fuit aurea illa ætate & quidem auguſtiſſima origo Italiæ.

Italia complura a dijs & ducibus ſortita fuit nomina: a Iano quidem Ianicula, quem quidam Oenotrium dictum exiſtimant, quia inuenit vinum & far. Cameſena a Cameſe, & a Saturno Saturnia: Salcombrona quoque a gentilibus. Durauit Saturniæ nomen totidem ferme annis quot ante aurea ætas, vſque ad Apym deorum Italiæ vltimum, vt Antiochus Syracuſanus ſcribit, a quo Apennina, quam Taurinam idem interpretatur: & ſi Græci de more quidam a bobus Herculis: vel quod opimos gignat Italia, vt ait Hellanicus: aut a vitulo egreſſo, vt Herodotus, vel quidam Græci boues vocant ITALOS, vt fabulator Timæus, dictam exiſtiment. Inde a duobus fratribus, altero Heſperia, altero Italia poſtremum nomen retinuit. His nominibus principio nuncupata fuit Italia circa Tiberim, vt qui inter omnes Italiæ amnes in omnium deorum & principum tutela eſſet, atque imperij totius ex his communis ſedes: a quo in principio & origine ipſa Italiæ, Albula nomen a Ianigenis habuit. Diuiditur autem in Apeninos montes, & Ciſapenninam, & Tranſapenninam Italiam.

Alpes omnes Italiæ colonias fuiſſe Thuſcorum incolæ aſſerunt, & ab ipſis vel ducibus, vel capitibus originum nomina gentibus & locis indita: vt Rethij a Retho rege Lydorum: & Veronenſes, a Verona colonia Thuſca: Comenſes a Coma: Rhegij a Rhegio: Volturreni, a quibus vallis Volturrena: & Oſcia a quibus Oſcela. Hiſtria quoque a duce miſſo a Iano nomé retinet. At Græcorum quidam ſcribunt dictum ab Iſtro amne cognomine Danubio, cui Danæ gentes accolæ nomen impreſſere, fabulanturque ramum ex eo in Hiſtriam effluere, inque Hadriaticum mergi. Fingunt alij Argonauim in Hiſtriam primum ab Iſtro e mõtibus humeris vectam, & in Hadriaticum demiſſam. Videlicet tanta eſt in mentiendo Græcorum vanitas ſimul & leuitas, vt ab Iſtri oſtijs ad eius fontes per immenſa gentiũ ſpatia transuolarint, & amnes etiam obſtantes tranarint & humeris ea conuecta connauigarint, vt etiam in Italia mentiendi ubi loca inuenerint. Neſcio Argo nauine Græci aquas, an Argonauis humeris montes nauigarit.

Venetia eſt omnis ora circum ſinum maris poſt Hiſtriam vſque oſtia Padi. Quibuſdam placet a Tylauento illos exordiri. Nam Tauriſanos Perſæ gentem ab Api duce conditam aſſerunt. Venetis cunctis prima origo Phaethontea eſt, quæ Græcis occaſionem mentiendi de Phaethonte & Eridano præbuit. Poſterius mixta his nobilis ſtirps Troiana, a quibus Patauium ſuo conditore inclytum.

Omnia

Omnia ſub Alpibus tranſpadana loca priſci conuenæ Thuſci miſsis colonijs tenuere, ab hiſque multa loca nomina retinent. Plura deleuerunt Galli, qui primi Arunte Clusino duce alpes tranſcenderunt, & ſenſim ab omni Galliæ ciſalpina Hetruriam pepulere, ab hiſque nomen ſortita retinet Gallia ciſalpina, qua Mantua ſuo conditore Ocno Bianoro eſt Thuſcorum rege illuſtris. Penetrauere trans alpes Boij, Senones, Inſubres, & aliæ Galliæ tranſalpinæ gentes. Gallia ciſpadana olim Bianora a victore Ocno, poſtea Felſina dicta vſque Rauennam, nunc Gallia Aurelia & Aemilia a Romanis ducibus nomen habet. Princeps metropolis Felſina primum a Rege Thuſco conditore, inde a ſucceſſore Bono Thuſcanienſi Bononia dicta. Spiretum Padi oſtium a Pelaſgis conditoribus Spira dictum, & a Diomede inſtauratum. Nouaria ante ab Herculis Ægyptij nomine Lybiæ: & a cognomine Aria Ægyptio vocabulo Leonina: ſed a Liguribus inſtaurata, Nouaria dicta eſt, Olanum ante ab Thuſcorum duce, qui cum Oropijs colonis ibi primus inſedit, quorum origo incerta vti Comi, Bergomi, Lycinophori, & aliquot circa populorum: inde ab Inſubrium principe nomine Medo adaucta, Mediolanum nomen ſeruat. Padus antea duce Colonia num Eridanus, ſed a profunditate Botigon ab Hetruſcis, & Botigum a Liguribus, & a circa arbore Picea, Gallice Padus nuncupatur. Poſt Padi oſtia Rauenna, Sabina ſtirps. Interijt Saga opidum Hetruſcorum, vti & Atria, a quo mare Atriaticum, quod nunc Adriaticum. Gallia Flaminia a Rauenna ad Ariminum a comitibus Herculis conditum, a quo cognominatur. Ab eo ad Anconam Senegallia a Senonibus dicta pulſis Hetruſcis, nunc Gallia Togata. Ancona prius Picena vocabulo Hetruſco ſimul & Aboriginum dicta. Galliam Togatam primi coluere Liburni & Siculi, quos pepulere Vmbri. Hos Hetruſci trecentis & amplius eorum validiſsimis opidis iuſti more belli expugnatis, eos tandem vicere Galli. Piceni lingua Hetruſca genus ſacrum dicitur, orti a Sabinis. A Picenis Garganum montem alijs & alijs temporibus diuerſæ gentes tenuere. Marſia duce Lydorũ, in quibus Aſculum. Precutij in quibus Adria ſiue Atria. Veſtini, in quibus Amiterni. Marucini & Peligni, in quibus Curſellum, Orton & Sulmo. Ferentani primum a Liburnis & Dalmatis, inde his pulſis a Thuſcis orti, quorum lingua Larinũ metropolim vocauerunt, id eſt nobilem principem: Laronem enim Hetruſci & Larunem & Arunem vocant nobilem principem. Inde in Tranſpadana Larium lacum, & in Thuſcia Larones amnes, & Arunes coloniæ, & viri Arunes, quos Thuſci ſecunda declinatione, Romani & Græci ſicut Atlas tertia declinant & proferunt Aruntes. A Gargano ad Brunduſiũ, coluere Celij, Daunij, inde Apuli, Boij, in quibus Arpe, Canuſium, Bararium. Sub his Apenninus ex tranſuerſo diuidit in duo fines Italiæ, quos inter Tarentinus ſinus iacet, circunque ipſum vndique magna Græcia. Ad Orientem vero magnę

Græciæ pars eſt, Oenotria Arcadum, & Calabri, prius Auſones: ad quos Græca verboſitas fert veniſſe primam Græcorum claſſem annis ferme quadringentis ante ruinas Troiæ: cum Oenotrium ducem Arcadum poſt Troiam conditam adnauigaſſe in Calabriam tradat Antiochus Syracuſanus, & circa oram maritimam poſuiſſe colonias. Et vt parcius mentiantur Greci, ab eo quondam dictam Italiam Oenotriam ſcribunt: cum ab initio Italiæ a vetuſtiſſimo rege Sabinorum & Hetruſcorum penes quem erat imperium, id nomen ſortita fuerit. A Leucopetra ad Sarnum amnem vicinum Neapoli tenuere diuerſi populi, Vmbri, Itali, Samnites, Siculi, Peucini, Picentini & Hetruſci: quorum vrbes ſunt Cluſiū, Pæſtum, Elea, nunc Velia. Inter amnem Vulturnum & montes Apennini Sabelli ſunt proles Sabinorū, vt nomen eſt argumento, a Latinis Samnites, a Græcis Saunites appellati.

A Tiberi ad Sarnum incoluere primi Aborigines, proles Vmbrorum. Princeps his vrbs vetuſtiſſima Camerena a Cameſe condita, non procul vbi poſtea Alba. Thuſci his admixti. Oſci, qui nunc Capuani. Voloſci, quos vocamus Volſcos, quibus metropolis fuit Anxur, nunc Taracina, Stabia, Antini, Hortenſes, Longhani, Oſcori, Macrani, Nuetini, Latine Grauiſcæ: Picenti, Sorani, Ferentinates, Freginates, Sangnini, Tuſculani, Cortinenſes, Vrſentini, Volcentani.

Roma principio ſui paſcua bobus erat. Circum Tiberim ſeptem rupes, ſibi perpetuæ in Hernico ſuccedentes, cauis paruis diſtinctæ erant, ſub quibus alueum Tiberis quandoque egreſſus paludes in planiciem rupibus ſubſidentem inferebat. Saturnus primus incoluit Capitolium, Italus Auentinum, Roma palatium, Cœlius cum Thuſcis Cœlium & Viminalem, Romulus palatium, in quo quadratam Romam condidit, etiam Exquilinum tenuit ab Excubijs dictum, quas illi Lucumo dedit more Thuſco duodecim lictorum, id eſt, trecentorum armatorum ad cuſtodiam corporis ſimul & dignitatem: quia Tacius non erat ſine ſuſpicione infidæ ſocietatis.

Hetruria, olim Italiæ princeps, ab eorum metropoli regia ſic cognominata, a Tiberi in Macram diffunditur. Gens prima illorum maritima Ligurum, dicta a filio Phaethontis Ligure, quem montani Ligures Pheriton nuncupant. Poſt Tiberina oſtia, Pheregene primum Hetruriæ opidum in vicino litore, dictum a Genio Iano, qui primus ibi colonias poſuit: & a Pheritone, id eſt, Phaethonte, qui colonias adiecit, vti in Liguria mōtana, vbi a Genij colonijs Genua opidum: & ab adiectis Pheretianis ibidem coloniis amni proximo & regioni Pheretianæ nomen reliquit. Primus omnium Græcorum Phaethon ex Attica ſoluens, cum Ligure filio, multis ætatibus & ſeculis ante Oenotrium Arcadem, colonias adiecit Italico litori, ab oſtijs Tiberinis vſque ad Nicæam Maſſilienſium & in medio portum Ligurnum a filio nuncupans, vltro, citro-

citroque litus omne Liguriam dixit: Verum Hetruſci, & eos ſecuti Romani ab oſtijs Tiberinis Hetruſcum vocauerunt vſque ad caput Hetruriæ. Inde Populonium, ab vrbe metropoli Popium, Romane Pupium. Poſtremo a Ligurno portu ad Macram, ad cuius fontes et Apua opidum, Apuanos Ligures vocant: Montanos vero omnes Ligures qui a Macra in Nicæam effunduntur. In montanis Liguribus ſunt portus Herculis Ægyptij. Nam Libarnum in his eſt a nomine ſimul & cognomine illius. Græci vbicunq; nomen Herculis audiunt, putant eſſe ſuum, a nomine ſumentes argumentum. cum tamen ille neque nomine Libyus: a quo deuicti Libyi: ſed Alceus dictus ſit: neque dictio Hercules ſit Græca ſed Ægyptia: nam illi Heraclio, id eſt, Iunonis gloria, cognomen fuit.

Gens prima Hetruriæ maritima eſt. Opida in his Pheregene, Aſinum, Agylla, quæ & Cære, a Pelaſgis condita: Pyrgus, Grauiſce, ab aere dictum: Coſe, Volce, Telamon, ab Argonautarum principe. cum in Hetruriam ad Lucumones profectus Hercules Alcæus lacum Ciminium effecit, & puella Faula ſubrepta ex Fano ad Euandrum perrexit. Vmbro fluuius limes & tractus Vmbrorum, caput Hetruriæ, limes Hetruſcorum, Populonium nauium & claſſis Hetruſcorum olim princeps: Volaterræ & vada eius. Piſa condita a Pyſis Alpheis Pelaſgis. Luca illuſtris Lucio Lucumone rege Thuſcorum, Lucus & montes Feroniani. Luna, Cariara ab Hetruſcis dicta, a Græcis CEΛHNH Apua in tranſitu Apennini ad fontes Macræ, vnde Apuani Ligures ab Arno ad Macram.

A Tiberi ad Ciminia iuga ſecunda gens Thuſciæ eſt, cognomine a Thuſcis. Larteniana id eſt, metropolis Eniana. Lartem enim ſummum regum vocant. Enianum vero vrbs in ea ab Enetanis Pelaſgis condita, quam Veij Hetruſci pulſis Pelaſgis ampliatam a principatu prouinciæ ſimul & conditoribus priſcis Lartenianum, Romani vero a genere populi Veiens vocauerunt. Opida in his ſunt Sabum in Sabatia a Sabo conditum: Lartenianum, cognomine Veiens, Nepeta, Soracte, Phaliſcorum mons Apollini ſacer: Phaliſcanum, Feſcennium, Vmbricum, a priſcis Vmbris dictum Flauianum, Arcennum, Mœſium a quo ſylua Mœſia, Ruſellum, Aræ mutiæ, Sutrium a Pelaſgis conditũ ab inſigni grano dictum, Romana ſocietate inclytum. Capina a qua Capinates, Lacus Ciminius, & Troitum Phaliſcorum finitimum Hetruſcis.

Gens tertia Thuſciæ Tranſciminia a Ciminijs diffunditur ad Piſtorium. In his Volturrena ſub radicibus Ciminijs iacens, cognomine Hetruria: a quatres gentes Hetrurię appellãtur Hetruſci, vt a communi metropoli, & ager Hetruſcus antea Vmbronus dictus, vbi Vmbri orti. In eo agro Ferentia, Troſſolum, Mæonia Mæonum, Tyrrhena, Volturna, ſub Volturrena, Aruntes veteres, cognomine Camillarij: Longius Blere. Oleana, Tuſſa Nana, Lartes oppidum, Salembrona, Cort. Moſſa, Cort Enebra. mons Coriti in iugis Ciminijs:

e regione mons Phiſcon, quæ & arx Iti: Volſine, Pelij, Oropite, Sentinas, Cluſium vetus a pugna, ſed à duce Commerſolo: montes Tumniates, Sora, Soana, non procul Saturnia, lapides a Ioue compluti in auxilium Herculis contra Ligures Hetruſcos gigantes, a filio dicti Lamones: amnis Pelia: mons Pelius. Mons Tumnias Roſelle: Vmbro in monte Sena colonia, Phocenſes, Piſtorium, Vmbro amnis, Stellates, Fluentini, qui & Arnienſes. Cluſium nouum, vnde Cluſentinus tranſitus Annibalis, Aretiū: Crotona a Crotone ſocio Herculis condita.

Apenninus mons Italiam in duo ſecat, radices ſub Pennino tranſitu Añibalis in Alpibus a Nicæa ad ipſum ferme Penninū in latitudinem extenduntur, & vſque ad Macram Ligures montani incolunt: a Macra item ad fontes Tiberis ad inferum mare Thuſci: ad ſuperum Galli Aureliani & Æmiliani. A fontibus rurſus Tiberis ad Narem Vmbri inhabitant. Principio Typhernum, & in fine Ameria & Tuder ſunt. Galli omnem Vmbriam pulſis Hetruſcis occupauerunt, exceptis Typherno, Eliſio, Hyſpello, Fulgineo, & vetuſta Veiorum prole, quam Veilumbram, id eſt, Veiam prolem antiquam Vmbram dicunt, in qui bus principes ſunt Spoletum, Tuder, Meuania, & Ameria ferme noningentis annis & amplius reſtituta ante Perſicum bellum, a Veijs Hetruſcis antea condita, duce Ameroe, Atlantis itali ex Pleiona vxore filia. A Nare porro Amne vſque ad Equiculos tenent Sabini a Sabo conditi, Sabatio Sangni gentili edito: Inde ad fontes Arni amnis Sabelli, Sabinorum proles incolunt.

Lucani a Samnitibus (duce Lucio) dicti, ſed ante illum Coloniæ erant Hetruſci generis, qui ſunt Buſſentum a Vuſetinis, Sentini, Tergilani, Vrſentini item a Traſimenis, Volcentini a Volce maritima, & Thebani ab Ocno miſſi.

Sangni gentilem Sabi pronunciant Sabini. Sanctum Romani, Sagam Barbari, a quo & Sagi primi Thuſci, id eſt pontifices & ſacri expiatores. Ex quo patet leuitas cum loquacitate Græcanica, qua a Lacedæmonijs ortos ſcribunt Sabinos, & Græca origine a CEBOMAI dictos fingunt. Sed Roma tū rudis erat, cum relictis literis & diſciplinis Hetruſcis, mirabunda Græcas fabulas rerum & diſciplinarum erroribus ligaretur, quas ipſi Hetruſci ſemper horruerunt: neque ob id Latinas quidem voluerunt ſuſcipere, vſque ad Cecinnam Volturrenum magiſtrum quadrigarum & augurum principem, patrem Menippi & auum Menodori, quos ante illum pater eius Volturrenus, auuſque Titus, & proauus Turrenus ſemper Romanis principibus chariſſimi renuerunt, cum ad eas recipiendas vrgerentur. Nam ipſe Turrenus patre Elbio Volturreno, & regum Hetruſcorum vltimo ad lacum Vadymonis cæſo, equidē ad reddendā vrbē Hetruriam anno ſecundo Olympiadis CXXI Vallici potuit, ſed ad recipiēdas Latinas literas nūquā perſuaderi potuit.

Palatinum collem Roma Itali filia, ſed prius Palatini Aborigines

rigines tenuerunt: qui ex agro Rheatino ad paſcua ouibus quærēda illo profecti ſunt. Argumento eſt Vellia, Palatini altera pars, a vellenda lana, ante his monſtratam Hetruſcam tonſurā appellata.

Capitolium dictum a capite inuento fluente ſanguine, dum Iouini templi fundamēta iaceret princeps Tarquinius. Nam antea Tarpeius a Tarpeia ibi ſcutis Sabinorum obruta, ſed prius Saturnus vocabatur. Sub eo Ianus quadrifrons. Quirinus a victoria Lucumonis a Quirino colle mouentis. Quirinalis a Iunone Sabinorum dea quam illi curitim, id eſt, haſtatam Iunonem vocant. Etenim haſtam Curim & Curinam proferunt: quia his ſimul & Hetruſcis non eſt litera q, ſicut Romanis. Inde Quirites.

FINIS.

ARCHILOCHI
LIBER
DE TEMPORIBVS.

MNASEAS Phœnix Damaſcenus libro nonageſimo ſeptimo hiſtoriarum, aſſerit ante Ninum ferme ducentis quinquaginta annis fuiſſe inundationem terrarum, & quendam cui teſtimonium perhibet Moſeas antiquiſſimus hiſtoricus, liberatum circa fluuium Araxim ad montes Caſpios, tumque recenti cœlo & rudi humano genere vixiſſe auream vitam, in qua nullo ferente legem natura ipſa viuebatur, quouſque Ninus & Semiramis arma populis inferentes, primi vitam vitiare cœperunt humanam. Tradunt igitur Chaldæi primo & trigeſimo atque centeſimo ab Ogyge anno regnaſſe apud ſe Saturnum auum, Nini annis ſex & quinquaginta, primumque Babyloniæ fundamenta iecisse. Hunc ſecutum fuiſſe filium Belum Iouem, & rexiſſe Chaldæos & Aſſyrios annis duobus & ſexaginta. Ninū vero duobus & quinquaginta: Semiramidē duobus & quadraginta. Ea Babyloniā magnitudine indicibili extruxit. Supputantur igitur a Nino ad ſecundum annum Speri, quo ortus eſt Deucalion, anni LI ſupra CCCC. ſeptingenti vero a prima inundatione noui meſtri, a qua ad Troiam colligit Mnaſeas annos non minus octo & viginti ſub Laomedonte ſex & XXX. ſupra octingentos.

Regnatum vero fuit Troiæ ſub regibus ſex: ſub Dardano quidem vno & triginta annis: ſub Erichthonio quinque & ſeptuaginta: ſub Troe ſexaginta: ſub Ilo quinque & LV: ſub Priamo XL.

Secuti ſunt anni D. a captiuitate Troiæ vſque ad viceſimam tertiam Olympiadem, in quibus floruerunt Homeri octo. Horum primus in annalibus Teutei regis Aſſyriorum traditur, qui viceſimus ſeptimus a Nino extitit. Hic Homerus, vt ibi traditur, fuit Smyrnæus, & præfectus eiuſdem regis paulo ante deſcenſum Heraclidarum in Peloponneſſum, anno XX. Demophoon-

tis regis Athenienſium, quando Pyrrhus in templo Apollinis fuit ab Oreſte interemptus. Hunc ſecutus eſt Homerus Chius, qui vt Chienſium memoria tradit, floruit arte medicinæ anno XIX. Melanthis regis Athenienſium. Alius fuit Homerus patria Cumæus, qui vt ipſi Cumæi perhibent, enituit magia magis quam literatura, anno XXIIII. Codri regis Athenien. Quartum, ciuem ſuum prædiuitem Salaminenſes Cyprij efferunt, arte inſtitoria inclytum, anno octauo Agaſti Athenienſis. Biennio poſt emerſit Homerus Colophonius, quem illorum annales migratione Ionica prædicant effulſiſſe arte pictoria ſimul & ſculptili. Sextus fuit Athenienſis, qui vt ipſi ſcribunt, illuſtris reuocatione abolitarum Legum, & nouarum latione floruit ſub Archippo. ſeptimum Argiui habent, Muſicæ atque geometricæ diſciplinæ præceptis admirabilē, anno decimo ſeptimo Diogeneti Athenienſis.

Vltimum hunc Homerum ætas noſtra cernit, qui Olympiade XXIII, & a Troiæ excidio anno D. patria Mæon, Olympico certamine victor, iudicio totius Græciæ eximius poëtarū eſt habitus, & ei ſoli ius tributū emendandi characteres, & nomina & linguā Græcam: quæ vt ferunt, Cadmus Samothrax fere barbara & plena ruditatis attulit ſub excidiū Troianum: cum reuerſus eſſet a fuga quam inierat ob certamē quod illi Priſca vxor intulerat, propter nuptias ſuperinductæ Harmoniæ. Sunt ergo nunc Characteres ab Homero forma elegantiore. Nā primi barbariē quandā vetuſtam & nō Phœnicā ferebant: quia nihil Phœnicū habet, vt cernimus, ſed Galatarū & Mæonum figuras retinent. Idē Homerus reformauit characteres, & grammaticæ præcepta primus dedit, cū antea quiſque ſermone ſcriberet ſimul & loqueretur vernaculo. Quæ profecto etiam Italia, quæ & magna Græcia, ſuſcepit. Hactenus de temporibus.

FINIS.

BE-

BEROSI BABYLONII ANTIQVITATVM

LIBER I.

ANTE aquarum cladem famoſam, qua vniuerſus periit orbis, multa præterierunt ſecula, quæ a noſtris Chaldæis fideliter fuerunt ſeruata. Scribunt illis temporibus circa Libanũ fuiſſe Oenon vrbem maximam gygantum, qui vniuerſo orbi dominabantur, ab occaſu ſolis ad ortum. Hij vaſtitate corporis ac robore confiſi, inuentis armis omnes opprimebant, libidineque inſeruientes inuenerũt papiliones,& inſtrumẽta Muſica, & omnes delicias. Manducabant homines & procurabant aborſus in eduliumque præparabant,& commiſcebantur matribus,filiabus,ſororibus, maſculis & brutis, & nihil erat ſceleris quod non admitterent contemptores religionis & deorum.

Tum multi prædicabant & vaticinabantur, & lapidibus excidebant de ea quæ ventura erat orbis perditione. Sed enim illi aſſueti conridebant omnia, cœleſtium illos ira atque vltione perurgente pro impietate atque ſceleribus.

Vnus inter gygantes erat qui deorum veneratior & prudentior cunctis reliquis ex probis erat in Syria,huic nomen erat Noa, cum tribus filijs, Semo,Iapeto,Cham,& vxoribus Tidea magna, Pandora, Noëla & Noëgla, Is timens quam ex aſtris futuram proſpectabat cladem, anno ſeptuageſimo octauo ante inundationem nauim inſtar arcæ coopertam fabricare cœpit. Anno LXXVIII. ab inchoata naui ex improuiſo exundauit oceanus, & omnia maria mediterranea,fluminaque ac fontes ab imo ebullientes inundauerunt ſupra omnes montes, accedentibus quoque impetuoſiſſime & ſupra naturam e cœlo copioſiſsimis hymbribus multis diebus corruentibus: ita omne humanum genus aquis ſuffocatum, excepto Noa cum familia ſua, quæ naui erepta eſt. Nam eleuata ab aquis in Gordyei montis vertice quieuit, cuius adhuc dicitur aliqua pars eſſe,& homines ex illa bitumen tollere, quo maxime vtuntur ad expiationem.

Ab hoc igitur anno ſalutis humanæ, ab aquis primortio ſumpto, noſtri maiores innumera ſcripſerunt. Nos vero tædioſum illorum ſermonem abbreuiaturi, referemus origines, & tempora, & reges eorum duntaxat regnorum, quæ nunc magna habentur: in Aſia quidem noſtrum omnium celſiſsimum Babylonicum, in Africa Aegyptium & Libycum, quæ vnum primo fuerunt, & ſub vno narrabimus. Poſtremo in Europa quatuor noſtri enumerant, Celtiberum, Celtæ, Kytim, quod illæ gẽtes Italicum appellant: & Thuyſconum,quod a Rheno fluuio per Sarmatas in pontum finit. Addũt quidã etiam quintum dictũ Ionicum.

BEROSI BABYLONII ANTIQVITATVM

LIBER II.

NECESSE eſt igitur nos ex præmiſsis cõfiteri, quod & Chaldæi ac Scythæ ſcribũt, ſiccato ab aquis orbe, no fuiſſe niſi dictos octo homines in Armenia Saga, & ab his omne hominum genus in terris ſeminatum; atque ob id Scythas recte dicere & appellare Noam omnium deorum maiorum & minorum patrem, & humanæ gentis autorẽ, & Chaos, & ſemen mundi. Thyteam vero Aretiã, id eſt terrã, in quã ſemen Chaos poſuit, & ex qua tanquã ex terra cũcti prodierũt. Præter vero tres primores filios, Noa poſt diluuiũ gigãtes pluresq; filios genuit. Quare ad abbreuiandũ plurimũ conferet, ſi omnium poſteritates figurabimus, ab ipſo Noa ſumpto exordio: deinde ſigillatim a cæteris. Primum itaque dixerunt Ogygiſan Sagam, id eſt illuſtrem ſacrorum pontificem Noam Dyſir.

BEROSI BABYLONII ANTIQVITATVM

LIBER III.

HAS igitur principum atque Heroum origines atque poſteritates abbreuiamus ex noſtris Chaldæis atque Scythicis libris, quoad ſatis ſit. Nam & multos alios memoriæ mandant, quos quia vel nihil ad noſtram intentam accurtationem, aut parum aſſerunt, ob id dimittimus reſumpturi illos vbi opus fuerit.

Quo pacto exinanitus orbis fuerit colonis & hominibus oppletus, dicendum eſt. Exiccata humo, & torrefacta terra, Noa cum familia de monte Gordyeo, vt par erat, deſcendit in ſubiacentem planiciem plenam cadauerum quam vſque ad hanc ætatem appellant Myri Adam, id eſt euiſceratorum hominum: & inſcripſit in lapide in monumentũ rem geſtam, & vocant incolæ locum, Egreſſorium Noæ. Congreſſi vero coniugibus perpetuo geminos edebant marem & fœminam; qui adulti, & coniuges effecti & ipſi binos partu liberos ſemper edebant. Neque enim vnquam Deus vel natura defuit rerum neceſſitati, quæ ad vniuerſi orbis ſpectat opulentiam. Peracto breui & in immenſum adaucto humano genere, omnique Armenia cõpleta, opus erat eos inde recedere atque novas ſibi ſedes conquirere. Tunc ſeniſſimus

ſimus omnium pater Noa iam antea edoctos Theologiam, & ſacros ritus, cœpit etiã eos erudire humanã ſapientiam. Et quidem multa naturalium rerum ſecreta mandauit literis, quæ ſolis ſacerdotibus Scythæ Armeni commendant. Neque enim fas eſt illa vlli inſpicere, aut legere vel docere, quam ſolis ſacerdotibus, & inter ſacerdotes duntaxat, ſicut & quos rituáles libros reliquit, ex quibus illis primum ſaga nomen fuit inditum, id eſt ſacerdos, & ſacrificulus & pontifex.

Docuit item illos aſtrorum curſus & diſtinxit annum ad curſum ſolis, & XII. menſes ad motum lunæ: quæ ſcientia prædicebat illis ab initio quid in anno, & cardinibus eius futurum contingeret. Ob quæ illum exiſtimauerunt diuinæ naturæ eſſe participem, ac propterea illũ Olybama & Arſa, id eſt Cœlum & Solem cognominauerunt, & illi plures ciuitates dedicauerunt. Nam & ad hæc tempora Scythæ Armeni vrbes habent Olybama & Arſa Ratha, & eiuſcemodi. Cumque iuiſſet ad regendum Cytim, quam nunc Italiam nominant, deſiderium ſui reliquit Armenis, ac propterea poſt mortem illum arbitrati ſunt animam cœleſtium corporum, & illi diuinos honores impenderunt. Et ob id ſolum hæc duo regna, Armenum quidem, quia ibi cœpit, Italicum vero, quia ibi finiuit, & docuit, & regnauit, naturalium que atque diuinorum, qui eos erudiuit, libros pleniſsime illis conſcriptos reliquit, illum venerantur, ſimulque cognominant Cœlum, Solem, Chaos, Semen mundi, Patremque deorum maiorum & minorum, animam mundi mouentem cœlos, & mixta, vegetabiliaque, & animalia, & hominem: Deum pacis, iuſtitiæ, ſanctimoniæ, expellentem noxia, & cuſtodientem bona. Et ob hoc illum vtræque gentes ſignant inſcriptis curſu ſolis, & motu lunæ, & ſceptro dominij, quo malos & noxios expellebat a cœtu hominum, & caſtimonia corporis & ſanctimonia animi, duabus clauibus religionis & felicitatis. Neque minus Tideam quæ mater omnium erat, Aretiam, id eſt terram vocabant, & Eſtam, id eſt ignem poſt mortem cognominauerunt: quia ipſa regina ſacrorum fuerat, & puellas docuerat ſempiternum ignem ſacrorum extinctum ſeruare. Cæterum Noa antequam diſcederet ab Armenia, docuit illos ſimplicem agriculturam, magis curans religionem & mores, quam opulentiam & delicias, quæ ad illicita & libidines prouocant, & cœleſtium irã nuper induxerant. Primus tamen omnium inuenit vites atque plantauit, & vinum conficere docuit, cuius vim inexpertus & vaporem, ebrius effectus minus pudice in terram cecidit. Erat illi, vt diximus, filius ex tribus primis adoleſcentior Chem, qui ſemper magicæ ac veneficæ ſtudens, Zoroaſtis nomen conſecutus erat. is patrem Noam odio habebat, quia alios vltimo genitos ardentius amabat, ſe vero deſpici videbat, potiſſime vero idẽ infenſus erat patri ob vitia. Itaque nactus opportunitatem, cum

Noa pater madidus iaceret, illius virilia comprehendens, taciteque ſubmurmurans carmine magico patri illuſit, ſimul & illum ſterilem perinde atque caſtratum effecit: neque deinceps Noa fœmellam aliquam fœcundare potuit. Ob beneficium inuentæ vitis & vini dignatus eſt cognomento Iano, quod Arameis ſonat vitifer & vinifer. At vero Chem cum publice corrumperet mortale genus, aſſerens, & re ipſa exequens, congrediendum eſſe, vt ante inundationem, cum matribus, ſororibus, filiabus, maſculis, brutis, & quouis alio genere, ob hoc eiectus a Iano piiſſimo, & caſtimonia, atque pudicitia refertiſſimo fortitus eſt cognomentum Chem eſenua, id eſt Chem infamis & impudicus, incubus propagator. Eſt enim Eſen apud Scythas Arameos infamis & impudicus. Enua vero tum impudicus, tum propagator. Eum inter homines huius dogmati ſecuti fuerunt Aegyptij, qui ſibi illum ſuum ſaturnum inter deos adoleſcentiorem fecerunt, & ciuitatem illi poſuerunt, dictam Chem Myn, a qua ad hanc ætatem omnes ciues illius appellamus Chemmenitas. Verum poſteri hoc vitioſum dogma neglexerunt, retento quod fuit primi moris, vt inter fratres & ſorores cõiugũ iniri poſſet.

BEROSI BABYLONII ANTIQVITATVM

LIBER IIII.

MVLTIPLICATVM eſt in immenſum genus humanum, & ad cõparandas nouas ſedes neceſsitas compellebat. Tum Ianus pater adhortatus eſt homines principes ad quærendas nouas ſedes, & communem cœtum inter homines agendum & ædificandas vrbes. Deſignauit itaque illas tres partes orbis, Aſiam, Africam, & Europam, vt ante diluuium viderat. Singulis autem his principibus ſingulas partes, ad quas irent partitus, ipſe per totum orbem colonias ſe traducturum pollicitus eſt.

Itaque Nymbrotum creauit Babyloniæ Saturnũ primum, vt ibi primum ædificaret cum coloniis ſuis. Quare Nymbrotus aſſumpto filio Ioue Belo, cum colonis furatus eſt Rituales Iouis Sagi, & cum populo venit in campum Sennaar, vbi deſignauit vrbem, & fundauit maximã turrim anno ſalutis ab aquis CXXXI. regnauitque ibi annis LVI. & deduxit turrim ad altitudinem & magnitudinem montium, in ſignum atque monumentum, quod primus in orbe terrarum eſt populus Babylonicus, & regnum regnorum dici debet. Ergo ab eo exordiemur, & per ipſum menſurabi

ſurabimus omnia regna, & eorum reges ac tempora, abbreuiando illa in hunc modum.

Anno CXXXI. a ſalute ab aquis, prima omnium gentium & ciuitatum fundata eſt a Saturno Babylonico noſtro vrbs & gens noſtra Babylonica, multiplicataque eſt nimis numero poſteritatis, magiſque ſtuduit paci & religioni Saturnus deorum quam opulentiis. Et turrim quidem ædificauit, ſed non compleuit: nec deſignatam vrbem fundauit, quia poſt quinquaginta ſex annos ſubito non comparuit, tranſlatus a diis.

Ab exordio huius Ianus pater miſit in Aegyptum cum colonis Cham Eſenuum: in Libyam vero & Cirenem, Tritonem: & in totam reliquam Africam Iapetum priſcum Atalāa: In Aſiam orientalem miſit Gangem cum aliquot ex filiis Comeri Galli: in Arabiam Felicem Sabum, cognomine Thuriferum. Arabum præfecit Arabiæ Deſertæ, & Petreium Petreiæ. Canam poſuit a Damaſco vſque in extima Palæſtinæ.

In Europa regem Sarmatiæ fecit Thuyſchonem a Tanai ad Rhenum, iunctique ſunt illi omnes filii Iſtri & Mœſe cum fratribus ſuis, ab Adula monte vſque in Meſembriam ponticam. Sub his tenuerunt Tyras, Arcadius, Aemathius. Italiam tenuit Comerus Gallus. Samotus poſſedit Celtas: & Iubal occupauit Celtiberos.

Hi ſunt qui egreſſi ſunt poſt Nymbrotum, ſinguli cum familiis & coloniis ſuis, relinquentes nomina ſua locis in ſignum expeditionis a Iano patre commiſſæ, & ad monumentum poſteris vt ſcirent quis eorum fuerit conditor.

Hij iuxta mandatum Iani colonijs turri conſtructa pro metropoli, ipſi in veijs & cauernis caſas habebant. Solus noſter Saturnus idcirco exceſsit mandatū, quia vrbē vrbium, & regnū regnorum voluit eſſe Babyloniam. Rurſus his temporibus Ianus cum omnes in colonias miſsi abiuiſſent, eos qui remanſerant bipartitus eſt: Nam ſecum retinuit filios plurimos, quos poſt ſalutem ab aquis genuit: & item maximam gentium multitudinem, quam ſecum in colonias conducturus erat. Scytha, cum matre ſua Araxa, & aliquot colonis qui Armeniam incolerent, rex primus relictus eſt conſtituto ſummo pontifice Sabatio Saga ab Armenia vſque in Bactrianos, quæ longitudo a nobis ad hanc ætatem vocatur Scythia Saga. Poſtremus omnium ipſe Ianus ab Armenia per orbem colonias ſeminaturus egreſſus eſt.

Hæc noſtri maiores multis libris tradiderunt. Nunc de temporibus eorum ac poſteritatibus dicemus, iuxta id quod in noſtra Chaldaica & primordiali Scythica hiſtoria fideli memoria conſeruatum eſt.

BERO-

BEROSI BABYLONII ANTIQVITATVM

LIB. V.

VT ſupra diximus, anno a ſalute humani generis ab aquis centeſimo trigeſimo primo cœpit regnum Babylonicum, ſub noſtro Saturno, patre Iouis Beli, qui imperauit annis LVI. Anno huius X. Comerus Gallus poſuit colonias ſuas in regno, quod poſt Italia dicta eſt. Et regionem ſuam a ſuo nomine cognominauit, docuitque illos legem & iuſtitiam.

Anno eius XII. Iubal condidit Celtiberos, & paulo poſt Samotes, qui & Diſceltas colonias fundauit, neque quiſquam illa ætate iſto ſapientior fuit, ac propterea Samotes dictus eſt. Anno Nymbroti XV. Oceanus ad Ninum Aegypti conſedit, & multos ex ſorore Thetide edidit liberos. Inde ſuperuenit ille corruptor humani generis Chemeſenuus, vbi Thelchines magicam docens maxima opinione celebrabatur.

Anno XVIII. eiuſdem Babylonici regis, Gogus Sabeam, Arabiam Felicem cũ Sabo ſuo patre puer tenuit, & Tridon Libyam, & Iapetus Priſcus Atalaa Aphricam, Cur Aethiopiam, & Getulus Getuliam.

Anno eiuſdem XXV. Thuyſcon Sarmatas maximos populos fundauit, & Mœſa cum filijs Iſtri priſcos Mœſios poſuit, vſque ponticam Meſembriam ab Adula monte.

Anno XXXVIII. eiuſdem regis Sagæ Armeni multiplicati poſſederunt omnem Caſpiam regionem, ab Armenia vſque in Bactrianos, & Ianus pater Ianeos colonos tranſduxit in Hircaniam, & Ianilos in Meſopotamia verſus mare ſub Babylonia.

Anno XL. eiuſdem regis aliquot coloni ex filiis Comeri in Bactrianis ſibi ſedes quæſiuerunt, & Ganges in India ſedem ſui nominis.

Anno XLV. eiuſdem regis aliqui ex filijs Mœſæ ac Getuli iuncti ſimul primi Maſſagetas in India propagauerunt. Eadẽ Tempeſtate Saturnus rex Babyloniæ miſit principes coloniarum Aſſyrium, Mœdum, Moſcum, & Magogum, qui regna condiderunt Aſſyrium, Mœdum & Magogum in Aſia: Moſcos vero & in Aſia ſimul & Europa. Anamæon quoque adoleſcentulus Mæones a ſe dictos condidit, & regnauit CL. annis.

BELVS, SECVNDVS REX BABYL.

Secundus rex Babyloniæ Iupiter Belus filius dicti Saturni, regnauit annis LXII. & fundamenta deſignata Babyloniæ opidi

pidi magis quam vrbis erexit. Pace fruebatur vſque circa finem imperij ſui.

Anno tertio huius Comerus more Scythico, vnde venerat, docuit ſuos Italos vrbem curribus componere. Et idcirco Veii appellati ſunt vocabulo Sago, qui Veias plauſtrum appellant, & vrbem ex his compoſitam, ſi parua ſit, Veitulam: ſi magna, Vlurdum: ſi metropolis, Cyocholam. Ad hæc quoque tempora Scythæ plauſtris & curru pro domibus vtuntur. Et ſub ſolario quidem ſtabulum, ſupra vero habent officinas domus. Concludit & loca a ſe cognominata.

Tyras poſtquam Tyrum fundauit, cum principibus coloniarum littora maris tenuit, fundauitque Thraces: Arcadius Arcadiam: Aemathius Aemathiam tenuit.

Anno LXV. huius Beli Ianus pater poſuit colonias in Arabia felice, & a ſuo nomine vnam vocauit Noam, & a cognomine Ianineas. Qui vero ex poſteritate Comeri erant Galli, ab auito cognomine illos appellauit Gallos.

Anno LVI. huius Beli Cemeſenus venit in Italiam ad Comeros, & non cōparente Comero cœpit colonias regere, atque corrumpere ſuis impietatibus & ſceleribus.

Ianus vero pater circa Arabiæ Felicis fluuium plures colonias relinquens, & a ſe Ianineas cognominans, in Aphricam ad Tritonem venit.

Hac ætate Iupiter Belus cœpit libidine dominandi torqueri, & paulo ante Araxa cum filio Scytha, creato omnium gentium Sagarum rege Sabatio Saga atque in Armenia relicto, ipſe occupauit omnem partem occidentalem ab Armenia vſque in Sarmatiam Europæ.

At vero Iupiter Belus cum non poſſet alios ſubiugare niſi ſubacto & trucidato Sabatio Sagarum rege, clam molitus eſt illum perimere. Cumque Saturnus proſpiceret ſe non poſſe euadere, quod innumeras inſidias ſibi parauerat Iupiter Belus, clandeſtina fuga ſe tutabat, in Sagis Caſpiis deliteſcendo. Cumque naturæ concederet, iuſsit filio Nino vt Sabatium Sagam funditus deleret, & omnes populos Babylonico regno ſubiiceret, quia omnium in orbe primum fuiſſet. Quo accepto Sabatius deliteſcebat in Bactrianis Sagis, quouſque cerneret tēpus idoneum vel ad regnum, vel ad fugam. Ita arma Iouis contra eum parata illum regno pepulerunt circa tempora Semiramidis.

Eodem tempore Triton reliquit filium Hammonem regem Libyæ, qui accepit coniugem Rheam, ſororem Cemeſeni Saturni Ægyptiorum, ſed tamen ex Amalthea adoleſcentula clam Rhea Dionyſium ſuſtulit, & in Nyſam vrbem Arabiæ educandum miſit.

NINVS TERTIVS BABYL. REX.

Tertius Rex Babyloniæ a noſtris ſcribitur Ninus, Iouis Beli filius, & regnauit annis quinquaginta duobus. Hic omnibus ſuis viribus ſumptis, armis patris ſui Iouis Beli omnibus bellum intulit, nulli parcens, & Sabatium Sagam, quod eſſet in omnium deſiderio, omni ſtudio ad interitum quæritabat. Quare etiam toto huius tempore exul apud ſuos delituit. Hic omnium primus ex noſtris regibus Babylonicum regnum propagauit, & omnium primus templum Belo patri, & matri Iunoni, & Rheæ auiæ ſtatuas in medio opidi Babyloniæ erexit.

Anno huius Nini quarto Thuyſcon Gygas, Sarmatas legibus format apud Rhenum. Idipſum agit Iubal apud Celtiberos, & Samotes apud Celtas. Ecõtra Cameſenuus Saturnus Ægyptiorum Comaros Italos nitebatur corrũpere, iuuantibus illum conuenis & aduenis, quos ille pro Italiæ colonis conduxerat: quos ipſi vocãt Montanos Aborigines. At apud Libyam lis orta eſt inter Rheam & Hammonem, ob ſtuprum admiſſum cum Amalthea, quærebatque Rhea vbi Dionyſius eſſet, vt eum perderet, & diu lis iſta rixaque perſeuerauit.

Anno Nini decimo Ianus pater ex Africa in Celtiberos Hiſpanos venit, vbi duas colonias dimiſit a ſe dictas Noelas & Noëglas. His enim etiam antea cognominibus cognominauerat vxores Iapeti & Cameſenui. Nini anno XXIX. Ianus pater veniens in Italiam, cum comperiſſet Cameſenuum præter opinionem corrumpentem iuuentutem, tribus annis illum æquo animo tulit. Deinde illi aliquot coloniis aſſignatis eũ Italia excedere iubet. Ipſe omnes colonias diuiſit. Etenim omnes colonos Comaros corruptos, & conuenas & aduenas montana trans Ianiculũ amnem colere iubet, illisque filiam ſuam Cranam Helernam, id eſt ſuffragio ab his electam & exaltatam reginam cum ſceptro dat: namque duos filios ſuos nouiſſimos cum illorum poſteritate Cranum & Cranam Ianus cum Comero miſerat, coaluerantque in gentem atque poſteritatem maximam, q̃ noſtra ætate Ianigeneam vocãt: cognominant autem Razenuã, id eſt ſacram propagatricem incubamque contra impietatem Cameſenui. Itaque ſuam poſteritatem ſeparatã ab Aboriginibus eſſe voluit cis Ianiculum amnem in planicie atque maritimis. Cognominauit autem eam Razenuam, vt & Cranum Razenum.

Interea cum Italia diſceſſiſſet Cameſenuus, ad illũ Rhea venit, & illi nupta ambo contra Hammonem cum Titanibus pergunt, ibique bello commiſſo pellunt regno Hammonem, & in Cretam cogunt. Cum in Libya Cameſenuus regnat, parit ex Rhea ſorore Oſirim, quem cognominauit Iouem.

Vigeſimoſecundo anno Nini Ianus in Thuſcia Ianiculũ, quod ætate Chemeſenui condidit, ſedem ſibi perpetuam ſtatuit vſque

Arnum.

Arnum, vbi colonias poſitas vocauit Aryn Ianas, id eſt, à Iano exaltatas. Vetuloniæ iura dicebat & docebat atque regebat:

Anno Nini XLIII. Sabatius cum aduerteret nullo pacto ſibi licere vti regnis, creato Armenis Saget regi filio Barzane, in Sarmaticum ponti littus conceſſit. Eadem tempeſtate Dionyſius Hammonis filius armis ſumptis Rheam & Chemeſenuum regno paterno pellens, & ſecum Oſirim retinens in filiumque adoptās, cum a patre ſuo Hammonem Iouem cognominauit, vti á magiſtro Olympo Olympicum, eique totius Ægypti regnum tradidit. Eodem anno virgo Pallas apud Tritonidem lacum infantula expoſita, ab eodem Dionyſio, Ioue Libyco etiam cognominato, adoptata in filiā fuit, quæ omnē militiam prima Libycos docuit.

Eodem tempore Ianus pater Ianigenas Razenuos docuit phyſicam, aſtronomiam, diuinationes, ritus, & Rituales ſcripſit, & omnia literis mandauit, eiſdem vero nominibus & veneratione diuina ſunt proſecuti, quibus in Armenia Saga erant vſi.

Anno XLIX. Nini Celtiberos rexit Giberius, filius Iubal, a quo Hiberi nominati fuerunt. Nini LI. anno apud Celtas regnauit Samotis filius Magus, a quo illis opida plurima poſita ſunt. Vltimo anno Barzanes in Armenia a Nino ſuperatur.

SEMIRAMIS IIII.

Quarto loco regnauit apud Babyloniam vxor Nini Aſcalonita Semiramis annis XLII. Hæc anteceſſit militia, triūphis, diuitiis, victoriis & imperio omnes mortales. Ipſa hāc vrbē maximā ex opido fecit, vt magis dici poſſit illam ædificaſſe quam ampliaſſe. Nemo vnquam huic fœminæ comparandus eſt virorum, tanta in eius vita dicuntur & ſcribuntur cum ad vituperationem, tum maxime ad collaudationem magnifica.

Huius primo anno oritur ex Rhea & Chemeſenuo in Ægypto Iuno Ægyptia, cognominata Iſis maxima, frugifera, legifera, ſoror & vxor Oſiridis.

Eodem anno Sabatius, Saga a ponto ſoluit in Italiam ad patrem Ianum, quem exceptum hoſpitio poſt aliquot annos illum Coritum creauit, & Aboriginibus præfecit.

Anno VI. Semiramidis apud Rheni Sarmatas regnauit filius Thuyſconis Mannus, & apud Ianigenas Razenuos Veſta vxor Iani, ſempiternum ignem cuſtodiendum virginibus puellis edoctis ſacra tradidit.

Anno XII. Semiramidis Sabatius Saga cum Iano regnat.

Anno XVII. Semiramidis Sabatius Saga docet agriculturam, & aliquantulum religionis.

Anno Semiramidis XXII. Sabatius Sabum præfecit Sabinis & Aboriginibus, ipſe iuxta Ianiculum cum aliis Curetibus regionem coluit, & ibi obiit.

Anno XXXIIII, eiuſdem apud Celtiberos regnat Iubalda, filiuſque Hiberi, apud montem ſui nominis.

ZAMEIS QVINTVS, REX BABYL.

Quintus apud Babylonios regnauit Zameis Ninias filius Semiramidis, annis XXXVIII. In regno Babylonico hic parum reſplenduit, ornauit tamen templa deorum, & Chaldæos ampliauit.

Eius anno primo cum Sabatius obijt, Ianus pater ſeniſſimus filium ſuum Cranum Coritum creauit, octauoque poſt anno obijt, expletis vitæ ſuæ annis CCCL. & Ianigenæ illum Vortumnum appellantes, templum illi & diuinos honores, vt par erat, impenderunt,

Hoc anno, Oſiris inuentis a ſe & a ſorore adoleſcentula frumento & frugibus, cœpit docere illa in Palæſtina. Inde reuerſus in Ægyptum, & inuento aratro, & his quæ ad agriculturam pertinent, ſenſim vniuerſum peragrauit orbem, docens quæcunque inuenerat: & ita vniuerſo imperauit orbi, exceptis gentibus quæ iam in Babyloniorum venerant poteſtatem.

His temporibus regnauit apud Celtas Satron, qui vt contineret ferociam hominum tum recentium, publica literarum ſtudia inſtituit, & apud Thuyſcones Inghaeuon.

ARIVS VI. BABYL. REX.

Sextus Babyloniæ rex Arius regnauit annis XXX: qui adiecit imperio omnes Bactrianos. Nam paulo ante mortem Niniæ Cameſenuus pulſus ab omni ferme orbe in Bactrianos ſeſe cõtulerat, & illos magico præſtigio ſibi deuinxerat, adeo vt apud illos maximis viribus imperaret. Coacto autem Cameſenuus maximo populorum exercitu inuaſit Aſſyrios: contra quem Ninus dimicans ſuperior fuit & Cameſenuum obtruncauit: inde paulo poſt ipſe obijt. Quare Arius collecto exercitu, poſt patris Niniæ obitum Bactrianos & omnes Caſpios ſubiecit. Cranus Ianigena ſororem ſuam mortuam cum Ianigenis Razenuis ſuis & omnibus ſimul Aboriginibus ſolenni pompa celebrat, & illi lucum iuxta Ianiculum amnem, ſolenneſque ritus, & diem ſacrat: ipſe ſenex filium ſuum Aurunum Coritum creat.

Arij XX. anno apud Celtiberos regnat Brygus, qui multa oppida ſuo nomini fundauit, adiectis nominibus capitum originum, quibus illa conſignabat.

Apud Libyam regnauit priſcus Hyarbas, vir ferox, armis & militia Paladuæ.

Anno

Anno XXIIII. Arij, apud Ianigenas Razenuos regnat Aurunus filius Crani.

Anno XXIX. apud Celtas Dryus peritiæ plenus.

ARALIVS VII. REX. BABYL.

Septimus Aſſyrijs imperat Aralius annis XL. Vir iſte claruit ingenio, & ſtudio militari, & primus adauxit pompas & gemmas, & muliebres delicias. Apud Libycam Hyarbas cum Palladijs fœminis belligerans, non fuit illis par. Quare donis occurrens ſe ac regnum illarum permiſit poteſtati.

Apud Thuyſcones regnabat Herminon, vir ferox armis, & apud Celtas Bardus, inuẽtione carminũ & Muſicæ apud illos inclytus.

Aralij anno X. Armeni Ianigenæ Griphonij cum colonis ſuis ad Aurunum Ianigenum venerunt, quos exceptos hoſpitio etiam ſedem cum Ianigenis Razenuis aſſignauit. Claſſe quoque Auſon eodem tempore ab Auruno fuit exceptus, anno VIII. ſequente, & ſibi ſedes in orientali Italia ab eodem conſignata fuit.

Idem Aurunus in Vetulonia lucum ſacrauit Crano, & inter Iſos id eſt deos annumerauit. Iano quoque Vortumno templum & ſtatuam non procul vrbe dedicauit, & deo Razenuo in Vetulonia ſacellum condidit.

Nouiſſimis annis Aurunus Malot Tagetem filium creauit Coritum, & XXXV. Aralij anno obijt, & ſucceſſit Malot Tages.

Anno penultimo Aralij claſſe venit ad Malot Tagetem Ianigenum Razenuum Phaethon cum ſuis, qui inueniens omnia ab Auſonijs occupata ab oriente, & montana a Gallis & Aboriginibus poſſeſſa, planiciem vero a Razenuis Ianigenis habitatam, donatus fuit parte occidentali, poſſeditque cum ſua poſteritate montes, & totum Eridanum vſque in regionem proximam, iſtis relinquens nomina locis.

Eo tempore Italia in tribus locis arſit multis diebus, circa Iſtros Cymeos, & Veſuuios, vocataque ſunt a Ianigenis illa loca Palensana, id eſt regio conflagrata.

BALEVS VIII REX. BABYL.

Octauus rex Babyloniæ fuit Baleus, cognomento Xerxes, & regnauit annis XXX. Hunc appellauerunt Xerxem, id eſt victorem & triumphatorem, quod imperauerit duplo pluribus gentibus, quam Aralius. Erat enim militia ferox, & fortunatus, & propagauit regnum vſque prope Indos.

Huius Balei Xerxis temporibus regnat apud Celtiberos Tagus, cognomento Orma: ex qua patria dicta fuit Taga: Apud Thuyſcones regnat Marſus, & apud Ligures Phaëthon, relicto filio Ligure regreſſus in Æthiopiam. Malot Tages ritus ſacros a Iano traditos & Aruſpicinam auxit.

ARMATRITES IX. REX BABYL.

Nonus Babyloniæ rex Armatrites imperauit annis XXXVIII. Qui magis ad voluptates & delicias conuerſus, ea quæ ad libidinem ſpectant cum invenit, tum maxime inuenta ampliauit. Huius ætate apud Celtas Longho regnauit, & apud Celtiberos Betus, a quo regnum habuit nomen: & apud Ianigenas Sicanus filius Malot Tabetis, a quo cognominata fuit Vetuloniæ regio.

Anno XX. Armatritis Ligur miſit Cydnum & Eridanũ cũ colonis, cũ fratribus & nepotibus, & occupauerũt vſque iſtrũ in Italia.

Sicanus ædificauit Aretiam, & nominauit eam lingua Ianigena Horchiam.

Oſiris in Thracia peremit gygantem Lycurgum.

Anno Armatritis XXXII. apud Celtiberos tyrannidem aſſumpſit Deabus, qui hoc cognomentum promeruit a fodinis auri & diuitiis, quas primus ibi cepit & inuenit, opprimens colonias. Et poſt duos annos apud Celtas regnauit Bardus Iunior.

BELOCHVS X. REX ASSYR.

Decimus Aſſyriorum rex imperat Belochus annis XXXV. qui idcirco a Belo ſumpſit cognomen, quia cum imperiũ voluit exercere, maximum pontificiũ Beli Iouis, & maxime circa auſpicia & diuinationes occupatus fuit. Eius annis apud Thuyſcones regnauit Gambriuius, vir ferocis animi. Apud Æmathios cœpit regnare, Macedon, filius Oſiridis a quo nunc nomẽ retinet prouincia: atque circa hoc regnum Oſiris depreſſit gyganres, qui iam tyrannidem ceperant.

Vigeſimonono huius Belochi anno apud Celtiberos Lomnini florebãt, & ædificauerant a ſuo nomine vrbẽ magnã Lomnimam. Anno autẽ ſequente Itali oppreſſi a tyrannis gygantibus in tribus Paleſianis, aduocauerunt Oſirim, qui cũ colonis ad Iſtri vicinos fõtes peruenerat. Oſiris tota Italia potit⁹, X. annis illã tenuit, & a ſe nominauit in triumphã, & ſub ditione poſitis gygantibus, regem Ianigenis reliquit Leſtrigonem gygantem, ſibi ex filio Neptuno nepotem.

Anno XXXIII. Belochi, rex Lucus regnare cœpit apud Celtas. Nouiſſimis annis Belochi tenuit mare Atticum, & ebulliens inundauit Atticam.

BALEVS XI. REX ASSYR.

Vndecimus rex Babyloniis fuit Baleus annis LII. Hic poſt Semiramidem ſupra cæteros enituit fama, ſplenduit imperio vſque intra Indiam. Libri multi de eius geſtis ſunt a noſtris conſcripti. Huius anno X. Porcus Cados Senæ inſulam compleuit Vetulonicis colonis, patrem relinquẽns poſteritati Ligurum.

Huius

Huius Balei temporibus Indi ſua obtulerunt Babyloniis. Oſiris in Ægyptum reuerſus columnam quæ permanet inſcripſit in monumentum expeditionis ſuæ per totum orbem. Apud Thuyſcones regnat Seuus, & apud Celtas Celte: a quo nomen habuerunt montes illorum maximi a conflagratione ſiluarum, qui diuidunt Celtas & Celtiberos.

Typhon Ægyptius omnibus orbis gigantibus conſciis fratrem ſuum Oſiridem Iouem iuſtum Ægyptium peremit, & ipſe in Ægypto aſſumit tyrannidem, Buſiris in Phœnicia, in Phrygia vero alius Typhon, in Libya Anteus, in Celtiberia Lomnini, in Italia Leſtrigones, & in toto mari Milinus Cretenſis.

Hercules Oſiridis filius, cui nomen eſt Libyus, cum Iſide in Ægypto ſuſtulit Typhonem, in Phœnicia Buſiridem, alium vero Typhonem in Phrygia, Milinum in Creta, Anteum in Libya, Lomninos in Celtiberia, a qua ſubſtituto illis rege Hiſpalo ad tyrannos Italiæ conuerſus eſt. Cumque in Italiam per Celtas tranſiret, permiſſu parentum Galtea genuit illis Galatem regem.

In Italia decem annis debellauit & expulit Leſtrigones, poſtque XX. annos apud illos pacifice regnauit, multaque illis opida a ſuo nomine, & ſuo cognomine Muſarna ſicut Getroſie & Carmaniæ fundauit: & loca aquis impedita habitatione hominum commoda fecit. Anno itaque Balei XII. orſus in Italia pugnam contra gygantes, biennio ante illius obitum illos deleuit. Ita ab Hiſpalis Hercules venit in Italiam, Leſtrigones & omnes tyrannos ſuſtulit, Arnos Libarnos, Muſarnos a ſe cognominatos condidit, trigintaque annis rexit, & accerſitum Thuſcum illis regem reliquit.

ALTADAS XII. REX ASSYR.

Altadas XII. rex Babyloniis fuit, regnans annis XXXII. Hic interpoſuit tempus ſuum deliciis, exiſtimans vanum eſſe laboribus & ſuæ vitæ miſeria continua laborare, non quidem aliorum humanæque gentis vtilitate ac beneficio, ſed exitio ac ſeruitute. Idcirco ſuum inſtitutum fuit, vt vita, diuitiis & gloria frueretur quoad viueret.

Huius Altadis tempore Hercules filium Thuſcum ex Araxa ſuſceptum ex Tanaide regione euocat. Galates, a quo Samothei Galli dicti, eius ætate regnauit apud Celtas, & Vandalus apud Thuyſcones.

Hercules Thuſcum filium Ianigenis creat Coritum ex more: Quo etiam illis rege relicto, ipſe ſenex admodum in Celtiberos reuertitur, anno Altadis XXXIX. & regnauit ibi atque obiit: cui Celtiberi templũ ad illius Gades, & ſepulchrum, & diuinos honores tribuerunt, plurimaſque illius triũpho & nomini vrbes dedicauerũt, vt Libiſoſonam, Liboſocã, Libuncam, Liboram.

Galatem puerum ad Herculem miſſum in Siciliam cum

colonis miſit Thuſcus. Idem Thuſcus primus Palladiam militiam & initiamenta Razenuos Ianigenas docuit.

MAMITVS XIII. REX ASSYR.

Tertiusdecimus Babyloniæ rex Mamitus, regnauit annis XXX. Is rurſus milites exercuit, & aſſuefecit laboribus, & interpoſitis delicijs, vnguentis, & apobalſamis militiam & pugnas exequebatur, cœpitque formidini eſſe Syris & Ægyptijs. Huius anno XXII. Alteus Thuſci filius regnat apud Ianigenas, & biennio ante Heſperus frater Kytim apud Celiberos, rurſus apud Celtas Harbon, & ápud Thuyſcones Theutanes.

MANCALEVS XIIII. REX ASSYR.

Quartuſdecimus rex Babyloniis imperauit Mancaleus, annis XXX. cuius anno primo apud Celtiberos Kytim, pulſo fratre Heſpero in Italiam, regnauit.

Duodecimo vero anno Mancalei apud Ianigenas regnat Kytim, relicto in Celtiberis rege filio Sycoro. Eiuſdem Mancalei tēporibus apud Thuyſcones regnat Hercules Alemannus, apud Celtas Lugdus, a quo prouincia & homines cognomēta ſumpſerunt.

Kytim ob mentis excellentiā Ianigenæ ſua lingua vocauerūt, Italum Atala. Hic filiam ſuā Electram Ianigenorum principi Cābobla'coni dedit coniugē, qui pro nuptiis colonias miſit trans Alpes Italiæ proximas, & Romam filiam ſuam Italus primo ſubreginam Aboriginibus ſacrat: filium quoque ſuum Morgetem Italus Kytim creauit Coritum.

SPHERVS XV. REX. ASSYR.

Quintus decimus Aſſyriis imperat Spherus annis XX. vir de cuius geſtis & prudentia omne vulgus perſonat. Huius temporibus Morges filius Itali creauit Coritum ſuum cognatum Camboblaſconem. Apud Celtiberos regnat Sicanus filius Sicori poſt obitum Spheri ſub Mamelo.

MAMELVS XVI. REX. ASSYR.

Sextuſdecimus rex Mamelus Bábyloniis imperat annis XXX. cuius anno octauo Romaneſſus filius Romæ fit primus ſub regibus mōtanorum Aboriginum, & Sicanus regnat apud Celtiberos.

Apud Celtas Beligius, a quo illi Beligici appellantur, regnat: & apud Ianigenas tandem a patre Iaſius creatus eſt Coritus.

Iaſius creatus eſt Coritus, & anno ſequente ſimul cœperūt duo reges, videlicet primus rex Athenienſium Cecrops priſcus, & Iaſius Ianigena apud Celtas.

In Iaſij nuptijs affuit Io Ægyptia. Sola enim fæminarum vno plus

pius Dodone centenario vixit, & vniuerſum ferme orbem luſtrauit poſt viri interitum.

SPARETVS XVII. REX ASSYR.

Decimus ſeptimus rex Babyloniorum fuit Sparetus, & regnauit annis XL. Sub eo cœperunt miranda in orbe: Nam terræmotus Babylonios terruit. Athenienſes regnum exorſi ſunt anno quarto eius. Et eodem anno Iaſius Ianigena imperauit Italicis: & Siceleus aliquanto poſt Celtiberis.

Sub Spareti imperio finierunt Ægyptij reges magni, Orus, Achencres, Acoris, & cœpit Chencres, qui cum Hebræis de Magia pugnauit & ab eis ſubmerſus fuit.

Anno quoque huius XXXIII & XXXV. in Theſſalia diluuium fuit non ſolum ex hymbribus ſed quod obturatis montibus caſu flumina planiciem impleuerunt, & ſubſecuto terræmotu, apertis oſtijs montium aquæ in alueos regreſſæ, & in alia eorum parte poſt terræmotum ſecutum eſt incendium ſub quodam illorum rege Phaethonte: & noſter rex Phœnices & Syros ſubegit. Antea vero anno XX. huius Imperij ab Italia Io in Ægyptum regreditur. Et lis prima inteſtina oritur pro regno inter Dardanum, & Iaſium. Aborigines ſequebantur partes Dardani: Ianigenæ vero & Siculi cum Siceleo partes Iaſij.

ASCATADES XVIII. REX ASSYR.

Decimus octauus rex præfuit Babylonijs Aſcatades annis XLI. qui funditus omnem Syriam ditionis ſuæ fecit. Cuius anno XIII. vitis inuenta apud Græcos narratur. Sub eodem anno Dardanus Iaſium dolo peremit, & fugiens in Samothraciam diu ibi latuit. Iaſio Coribantus filius ſucceſſit.

Aſcatadis anno octauo Chencres, victus Hebræorum magia, perijt in mari; cui apud Ægyptios ſucceſſit Acherres, apud Celtiberos Luſus, apud Celtas Allobrox, & apud Aborigines Italos Romaneſſus filius Romæ. Primus Saturnus conſecratus mox obijt, cui ſucceſſit filius eius Picus priſcus.

Anno vltimo regis Aſcatadis, Ato donauit Dardanum parte agri Mæonici, & ita regnum Troianum cœpit Dardanus ſi qua iura in Italiæ regno habebat, reſignauit Tyrrheno filius Atus.

Tyrrhenus adnauigans in Italiam Ianigenam a Cybele & Coribanto tanquam ex Herculeis hilari hoſpitio exceptus, & ciuitate Razenua donatus eſt.

Ipſe Tyrrhenus multa Mæonica ornamenta proferens dedit. Coribantus vero & Cybeles ordinata Dynaſtia duodecim ducum duodecim populorum, qui eſſent ex Ianigenis, ipſi in Phrygiam ſe contulerunt.

Porro etiam ſub Aſcatade apud Ægyptios fuere reges Cherres & Armeus, qui cognominatus eſt Danaus, & Rameſſes, cognomēto Aegyptus. Itaque qui reges& tēpora traduntur a noſtris, de primoribus regnis orbis a Iani diluuio primo vſque ad Dardaniæ regnum conditum, his noſtris breuiſſimis annotationibus ſint hactenus dicta.

FINIS.

MANETHONIS SACERDOTIS ÆGYPTII LIBER

DE REGIBVS ÆGYPTIORVM.

BEROSVS, inter Chaldæos hiſtoricos probatior, defloratuit breuiſſimis annotationibus omnia Chaldaica, de potioribus regnis orbis a diluuio maximo, quod eorum maiores ſcribunt fuiſſe ante Ninum, vſque ad præcipuum regnum Troiæ conditum. Nos quoque vbi ipſi reliquit proſequemur ea, quæ nos ex noſtris hiſtoricis vel eorum relationibus conſecuti ſumus, per noſtros Ægyptios reges progrediendo, vt ipſe egit ſub Aſſyrijs.

Ægyptus eiecto fratre Danao regnauit annis LXVIII. ab eo Ægyptus nomen accepit, Pharaones pro dignitate dicebantur. Anno huius quinto regnauit Amyntes annis quadragintaquinque.

Anno ſexto regnauit Dardanus annis LXIIII.

Decimo anno Danaus Argis annis L.

Anno XVIII. huius regnauit Tyrrhenus apud Ianigenas annis LI.

Anno XXXIII. in Creta regnauit Aſterius. Anno eiuſdem XXXV. apud Celtas Romus, a quo Romani: & biennio poſt apud Aborigines Faunus priſcus: apud Athenienſes Pandion. Anno L. apud Aſſyrios Belochus iunior: & anno LXVII. apud Aborigines imperabat Amnus Faunigena.

Secundus poſt hunc Pharao Menophis imperat apud Ægyptios annis XI. cuius ſecundo anno apud Troianos regnat Erichthonius annis XLVI. Tarcon priſcus apud Razenuos Ianigenas qui nunc dicuntur Tyrrheni & Thuſci ob Tyrrhenum, & peri-

tiam diuinorum quæ a Iano didicerunt, regnat annis XXI. Apud Celtas Paris: apud Celtiberos Teſta Libyus Tryton.

Anno ſeptimo eiuſdem apud Aſſyrios regnat Pelopares, & Minos regnat in Creta. Anno vero decimonono Athenienſibus regnat Erichtheus. Anno trigeſimoquinto eius apud Thuſcos annis quindecim regnat Abas, a quo poſiti ſunt Abij Thuſci: & anno eiuſdem trigeſimo tertio Argis regnat Abas Argus.

Anno XXX. Menophis Cadmus & Phœnix a mari rubro profecti apud Sydonem regnauerunt. Poſt ſeptennium Cadmus docuit rudem Græciam, & regnauit Thebis. Apud Aſſyrios regnauit Lamprides: & vltimo eius anno Zetus & Amphion expulerunt Cadmum.

Poſt Menophim cœpta eſt dynaſtia Lartum, vt in Italia, quæ dynaſtia durauit annis ſolaribus CXCIII I. Horũ Lartũ in Ægypto primus fuit Zetus, qui regnauit annis LV. cuius anno octauo in Dardania regnauit Tros: in Thuſcia vero anno huius XXXIII. regnauit annis XXXVIII. Veibenus ex familia Vetuloniæ.

Primo quoque anno Zeti regnauit apud Celtas Lemanus, & XXXII. anno apud Aborigines Mars Italus, cognomento Ianus iunior. Anno eiuſdem XXXV. apud Celtiberos Romus regnauit.

Secundus Lartes Ægyptius fuit Ranſes annis LXVI.

Anno eius XXIIII. Aſſyrijs imperat Pannias. Eiuſdem anno XXVIII. Athenienſibus regnat Egeus. Cadmus Harmoniam ſororem Iaſij Samothracis duxit vxorem. Olbius regnat apud Celtas. Anno LX. Cadmus ex zelotypia primæ vxoris ob Harmoniam diſcrimen certamenque patitur.

Eiuſdem anno XXIII. Cœculus cognomento Saturnus iunior regnat apud Aborigines: & tertio anno poſt apud Tyrrhenos regnat Oſcus, cuius inſigne fuit ſerpens. Hic ex Vetulonia multas colonias ſeminauit, apud quam erat oriundus magna familia.

Anno eius XIII. Ilus regnauit apud Troianos LII. annis: & Palatuus apud Celtiberos: apud Celtas Galatas iunior, qui vicit Sarmatas, & condidit Galatas Aſiæ.

Anno eiuſdem XLVII. Picus iunior fit rex Aboriginibus: & apud Thuſcos regnat Tarcon ſecundus annis XLIIII. poſt Picum.

Anno penult. Raniſis apud Celtas regnauit Nannes.

Tertius Lartes Ægyptius Amenophis annis XL. regnat & imperat, cuius anno primo Laomedon imperauit Troiæ.

Anno vero tertio Soſarmus regnat Aſſyriis, & Hercules Amphitryonis naſcitur anno VI. vixitque annis LII. & periit igne primus ex maximis piratis.

Anno Amenophis XIIII. apud Aborigines regnat Faunus iunior, & XXIX. anno Thuſcis imperat Tiberinus ex familia Vela Vetuloniæ annis XXXV.

Quartus Ægyptijs imperauit Ammenephos annis XXVII. cuius anno IIII. apud Celtas regnat Remus, a quo Remi. Anno nono eius apud Aſſyrios regnauit Tautanes, & anno decimo ſexto apud Aborigines Latinus, apud Thuſcos autem regnat Mezentius.

Secutus eſt vltimus Lartes ſeptem annis, poſt quem ſecuta eſt Dynaſtia ſine Larte annis centum ſeptuaginta ſeptem, per quã numerabimus qui Babylonij, Ægyptij, & Tyrrheni floruerunt. Anno Dynaſtiæ Diapolitanorum primo Troia euerſa fuit, & anno tertio Æneas venit ad Italiam ad Latinum & Euandrum & Tyrrhenos, apud quos regnauit Tarcon iunior annis XX.

Anno ſeptimo Aſcanius Latinis imperat: Anno vero ſequẽte Teutheus Aſſyrijs, & poſt Francus Celtis ex Hectoris filijs, & anno eodem Lydi mare obtinuerunt.

Anno quadrageſimo ſecundo Amazones templum Dianæ Epheſi ſuccenderunt, & anno quadrageſimoſeptimo Ocnus imperauit Italiæ annis XLVI. vixit annis XCVI. & XLIX. Syluius Latinis; & Tyneus Aſſyrijs.

Anno XLV. Dynaſtiæ regnauit Latinis Æneas Syluius, & Aſſyriis Dercilus annos XLVII. At LXXII. Thuſcis imperat Pypinus annis quinquaginta duobus.

Anno VIII. regnat Latinis Syluius Latinus: & CXXI. Eupales Aſſyrijs. Anno CLVIII Alba Latinis regnat, & CXXVIII. Nycius Feſulanus Thuſcis annis XLVII. Anno CLXVI. Piſeus Tuſcus pirata imperat Italiæ annis quinquagintaduobus. Itapaulatim Aſſyrij, Ægyptij, Tyrrheni delicijs eneruati decreſcunt, e contra Latini creſcunt. Itaque ſubijciemus breuiloquiũ, quo pacto reges Aſſyriorum Ægyptiorum cœperunt eneruari, econtra Græcorum & Latinorum Aboriginum. Apud enim Thuſcos Piſeo ſucceſſit Thuſcus iunior annis XXXIX. huic Amnus annis XXV. quem ſecutus eſt Felſinus annis triginta tribus. Hinc Bon annis vigintiocto, Atrius vigintiſeptem, Marſias decem & octo, Etalus triginta, Celius viginti & vno. Ex Latinis autem ſecuti ſunt per quos propagati Romani imperium tenent.

METASTHENIS PERSAE
LIBER
DE IVDICIO TEMPORVM, ET ANNALIVM PERSICORVM.

QVI de temporibus ſcribere parant, neceſſe eſt illos non ſolo auditu & opinione chronographiã ſcribere, ne cum per opiniones ſcribunt, vti Græci, cum ipſis pariter & ſe & alios decipiant, & per omnem viam aberrent. Verum abſque vllo errore fiet, ſi ſolos annales duarum monarchiarum aſſecuti cæteros omnes vt fabulatores reiecerimus. In his enim tam liquide atque vere digeſta ſunt tempora, reges, & nomina, quam apud eos ſplendidiſſime regnatum eſt. Neque tamen omnes recipiendi ſunt qui de his regibus ſcribunt, ſed ſolum Sacerdotes illius regni, penes quos eſt publica & probata fides Annalium ſuorum, qualis eſt Beroſus. Nam is Chaldæus omne tempus Aſſyriorum digeſſit ex antiquorum annalibus, quem ſolum, vel maxime vnum Perſæ nunc ſequimur.

Is ergo tradit ante Ninum ducentis & quadragintanouem annis regnatum fuiſſe ſub tribus diis regibus, quorum qui primus vniuerſo imperauit orbi fuit Ogyges: qui præfuit inundationi terrarum. Inde Saturnus fundata Babylonia regnauit annis ſex & quinquaginta. Belus Iupiter eius filius duobus & ſexaginta. Ninus eius filius, qui primus monarchiam cepit, annis quinquaginta duobus. Semiramis quadraginta duobus. Zameis annis trigintaocto. Arius triginta. Aralius quadraginta. Xerxes Baleus triginta. Armatrites trigintaocto. Belochus priſcus quinque & triginta. Baleus iunior duo & quinquaginta. Altadas duo & triginta. Manitus triginta. Mancaleus triginta. Sphaerus viginti. Mamelus triginta. Sparetus quadraginta. Aſcatades quadraginta. Amyntes quinque & quadraginta. Belochus iunior quinque & viginti. Bellepares triginta. Lamprides triginta duo. Soſares viginti. Lampares triginta. Pantas quinque & quadraginta. Soſarmus decem & nouem. Mytreus vigintiſeptem. Tautanius triginta duo. Teuteus quadraginta. Tyneus triginta. Dercylus quadraginta. Eupales trigintaocto. Laoſthenes quadragintaquinque. Pyrithicias triginta. Ophrateus viginti. Ophraganeus quinquaginta. Acrazapes quadraginta & duo. Tonoſconcoleros X V. hunc Græci Sardanapalum vocant. Hucuſque Beroſus. Nos autem illum imitati, nullo alio autore vſi ſumus quã publica Suſiana bibliotheca in qua annales Perſarum ferunt fuiſſe Belochum tertium Sardanapali clandeſtinum hoſtem, qui eius militiæ præfectus erat.

Is cum Arbace tum Medorum principe partitus eſt monarchiam, ea legē vt Belochus Babyloniā, Arbaces Mediam atque Perſas regeret. itaque interfecto & ſeipſo flammis iniecto Sardanapalo, monarchia bipartita fuit. Apud Medos hi regnauerunt annis quatuor & trecentis. Arbaces viginti octo. Mandanes quinquaginta, Soſarmon XXX. Arti Carmin quinquaginta. Arbianes duo & XX. Arceus XL. Artines viginti duo. Aſtybarus cum Apanda filio viginti: Apanda ſolus triginta. Hoc Syrus & Darius deuicto regnauerunt annis triginta ſex: Nam ante reunitam monarchiam regnauerunt in Perſia annis ſex. Inde alijs ſex Perſico regno reſignato Cambyſi filio, ſexennale bellum Tamyri reginæ Scytharum intulerunt. Sexto anno a Babyloniis euocati atque Baith Aſſare interfecto reunitam monarchiam in Perſas tranſtulerunt.

Totidem annis in bipartita monarchia regnatum eſt apud Babylonios. Primus Phul Belochus annis XLVIII. Phul Aſſar XXV. Salman Aſſar decem & ſeptem. Senacherib ſeptem. Aſſar Adon decē. Merodach duo & quinquaginta. Ben Merodach viginti vno. Nabugdonoſor primus trigintaquinque. Nabugdonoſor Magnus quinque & quadraginta. Amilinus Euilmerodach triginta. Filius huius primus Reg Aſſar tribus, Secundus Lab Aſſar Dach ſex, Tertius Balt Aſſar quinque. Balt Aſſare interfecto regnauerunt ſimul Cyrus & Darius annis duobus, inde ſolus Cyrus duobus & viginti. Filius Darii Priſcus Artaxerxes Aſſuerus annis viginti: Vltione interea ſumpta de factione Tamarica, quæ per dolum patruum tradiderat Tamyræ. Huius duo filii, Cyrus Artabanes, & Darius Longimanus ſeptem menſibus pro imperio dimicarunt, & ſeptimo menſe Longimano victoria ceſſit, regnauitque annis ſeptem & triginta. Eius filius Darius Nothos annis decem & nouem. Magnus Artaxerxes Darius Meneon annis quinquaginta quinque. Artaxerxes Ochus ſex & viginti. Noſtra ætate Arſes annis quatuor, Darius vltimus ſex. Magnus Alexander qui tranſtulit imperium in Græcos annis duodecim. Seleucus Nicanor, qui nunc agit trigeſimum annum, ſucceſſit toti Aſiæ ac Syriæ

FINIS.

XENO-

XENOPHON DE AEQVIVOCIS.

SATVRNI dicuntur familiarum nobilium regum, qui vrbes condiderunt, ſeniſſimi. Primogeniti eorum Ioues & Iunones: Hercules vero Nepotes eorum fortiſſimi. Patres Saturnorum Cœli, vxores Rheæ & Cœlorum Veſte. Quot ergo Saturni, tot Cœli, Veſte, Rheæ, Iunones, Ioues, Hercules. Idem quoque qui vnis populis eſt Hercules, alteris eſt Iupiter: Nam Ninus qui Chaldæis extitit Hercules, fuit Aſſyriis Iupiter, quibus opidulum paternum tetrapolim, & caput imperii ſtatuit. Vnde ipſum Ninum, id eſt Iouem cognominauerunt, qui proprio nomine Aſſyrius dicebatur, a quo Aſſyrii dicti, & a cognomine vrbs Ninus dicta

PHORONÆVS.

Phoronæi plures, ſed in precio habiti duo. Antiquiſſimus claruit primo anno Nini in parte Hellinica, quæ poſt Græcia dicebatur. Iunior ſecundus rex Argiuorum filius Inachi, inter quem & priſcum fuere decem ætates & amplius.

TEMPORVM ÆQVIVOCA.

Ætas apud diuerſos diuerſa metitur ſpatia: quia apud Ægyptios ſpatio triginta annorum perficitur: & apud Græcos quartam centenarii partem, id eſt annos quinque & viginti continet. Annus etiam diuerſus eſt. Etenim ipſi Ægyptij vtuntur anno quandoque menſtruo, ſæpe bimeſtri, non raro trimeſtri, ſæpe quatrimeſtri, nonnunquam ſolari: quæ varietas etiam ex noſtris qui ab eis literas habuerunt, ſapientes coegit aberrare. Hiberis annus, quatrimeſtris vt plurimum eſt, rariſſime ſolaris. Econtra Chaldæi cũ in antiquitate diſciplinarũ ſuarum vtantur menſtruo, in cæteris ſemper ſolarem ſe intelligere fatentur. Et hoc pacto ſemper quoque Semiramis in columna Nino ita excidit: Mihi pater Iuppiter Belus, auus Saturnus Babylonicus, proauus Saturnus Æthiops, Abauus Saturnus Ægyptius, Attauus Cœlus Phœnix Ogyges. Ab Ogyge ad meum auum ſol orbem ſuum circumluſtrauit ſemel ac tricies & centies. Ab auo ad patrem ſexies & quinquagies. A patre ad me bis & ſexagies. Columnam, templum, ſtatuam Ioui Belo ſocero, & matri Rheæ in hoc Olympo Semiramis dicaui.

OLYMPI.

Olympus plura ſignificat: Nã omnis mons regionis altior Olympus a Græcis dicitur. Vnde & plures Olympi dicti quaſi toti

lympidi. A Barbaris vero omne ſpatium circulare vltimum lymbus dictus eſt, & cum interiori area Olympus, a quo aſtrolabium Olympus, & ſacrum pomerium Olympus eſt.

Homeri plures fuere: quorum qui eximius poëtarum extitit, vltimus omnium poſtque Thalem Mileſium inuenitur.

Nini plures fuere. Primus omnium Aſſyrius, quem ab ampliato opido patris vocauerunt Ninum, id eſt Iouem: lingua Aſſyrica. Huius filius Zameis etiam Ninus paterno cognomine appellatus fuit.

Ogyges plures fuere. Primus ſupra dictus atauus Nini, quem Babylonij Gallum cognominant, quod in inundatione etiam ſuperſtes alios eripuerit & genuerit. Hinc Sagæ, apud quos nauigio ſaluatus eſt & ereptus: ratem vocant Gallerim, quod vndis ſaluet. Verum Græca lingua Gallus candidum & lacteum ſignificat: Phryga exectum teſtibus: Latina Gallinæ maritum: & Celtas qui ſunt Galatæ veteres, a rege Galanthe filio Herculis, a quibus Galatæ in Aſia, & Gallogræci in Europa. Fuit autem priſcus Ogyges in prima inundatione terrarum. Alter vero Atticus in tertia.

INVNDATIONES.

Inundationes plures fuere, prima nouimeſtris inundatio terrarum ſub priſco Ogyge: Secunda Viliaca menſtrua ſub Ægyptijs Hercule ac Prometheo. Bimeſtris autem ſub Ogyge Attico in Achaia trimeſtris. Theſſalica ſub Deucalione. Par Pharonica ſub Protheo Ægyptio in raptu Helenæ. Ab inundatione terrarum ad ortũ Deucalionis ſecundo anno Spheri ſeptingenti ſupputantur anni: qui natus annos duos & octoginta Theſſaliã, vbi primum in Hellina regnauit Phoroneus, vidit inundatam.

PROTHEI.

Prothei fuerunt plures. Primus Saga in Caſpiis. Alter Ægyptius, ſub quo diluuium Pharonicum. Erat enim ſacerdos Prothei magni Phœnicis, cui conſenſu totius orbis templa, ſtatuæ, & aræ dicatæ ſunt in Europa, Aſia, & Ægypto.

CADMI.

Cadmi fuere plures. Primus frater Phœnicis paulo poſt conditionem Troiæ, qui ambo apud Sydona regnauerunt. A Phœnice quidem tota regio nomen accepit, quæ eſt a Sydone ad iamineum portum Aſcalonis vrbis Semiramidis, vicinum monti tetrapolis atque gymnaſij veteris Phœnicum, cum omnis ante Aſſyria diceretur. Paulo poſt fuit alius Cadmus Argiuus, qui poſt exilium a Phœnicia reuerſus in Bœotiam Thebas condidit. Tertium, qui

in eadem

in eadem vrbe tyrannidē aſſumpſerat, propulſauerunt Linus & Zetus. Quartus cum Spartis bellum geſſit. Quintus paulo ante ruinas Troiæ Harmonia Samothraca inclytus, qui a priſca vxore ob Harmoniam certamen paſſus, rediens a Phœnicia detulit in Græciam primus ſexdecim numero literas rudes, non phœnicas, ſed Galatarum & Mæonum perſimiles characteribus. Reſiduas retulerunt paulo poſt Palamedes & Simonides melicus. Fuit & vltimus qui ſcribere docuit oratione ſoluta, cum ante literas aduectas, atque poſt vernaculo ſolum carmine vterentur.

FINIS.

Q. FABII PICTORIS DE AVREO SECVLO, ET DE ORIGINE VRBIS ROMÆ, EIVSQVE DESCRIPTIONE,

LIBER PRIMVS.

ITALIÆ imperium penes duos populos principes extitit. Poſterius Romani, principio Thuſci ſub Iano cœperunt in aureo ſeculo. Aurea ætas primo ortu generis humani fuit ſic dicta, quod poſterioribus ſeculis comparata, æque atque aurum inter metalla effluxit. Eam cœpiſſe ſub Ogyge ante Ninum annis circiter ducentis & quinquaginta, Xenophon atque maiores prodiderūt. Is Ianus ſub initium aurei ſeculi læuum latus Tiberis Hetruriæ tenuit; Cameſes vero ac Saturnus circa finem eiuſdem ætatis dextrum incoluerunt. Ea ætate nulla erat monarchia, quia mortalium pectoribus nondum hæſerat vlla regnandi cupiditas. Principes quia iuſti erant, & religionibus dediti, iure habiti dij & dicti. Non enim arbitria illorum ab equo, vel populus a iure innato diſcedebant. Nullo tunc vindice aut metu, ſed ſua ſpōte retinebant fidem & rectum. Pudor ipſe regebat populos, & ius principes. Domus illis non extructæ vel ornatæ luxuriaque inſignes erant & ſplendidæ, ſed vel cryptæ, aut viminum tuguria, & caua arborum ligna erant. Victum ſponte naſcentia præbebant, aut in diem victus quærebatur venatu. Vinum & far primus illos docuit Ianus ad ſacrificia & religionem magis quam ad eſum &

potum. Primus enim aras, & pomœria, & ſacra docuit, & ob id illi in omni ſacrificio perpetua præfatio præmittitur, farque illi ac vinum primo prælibatur. Vxor illi fuit Veſta, quę prima ſacrorum regina ſempiternum ſacrificiorum ignem virginibus credidit. Bella tunc non ignota modo, ſed ne cogitata in mentem venerant. Ad pudorem & ſanctimoniam domorum primus valuas, ſeras, & claues excogitauit & inuenit, & ab eo dictæ Ianuæ. Olympo regio Hetruriæ fanoque ſacrato, duodenis colonijs totidem pomœria araſque ſacrauit, & ad continendum recentes tum colonias in officio aureo, virgas faceſque ſingulis ſingulas dedit. Vnde ipſe in manu virgam & clauem, ſubque pedibus bis ſenas aras habet. Circa finem aurei ſeculi primus omnium Ninus rex Aſſyriorum hos aureos mores noua regnandi cupiditate mutauit: & primus limites tranſgreſſus, bella finitimis mouit, & totius Aſiæ populos perdomuit. Sub quo Cameſes præfectus fuit Aboriginibus. Et paulo poſt frementibus vndique contra ſe armis, toto prius pererrato orbe Saturnus ad Ianum ſe contulit. Eum comi hoſpitio Ianus receptum, Latio & Aboriginibus præfecit. Eo more, quamuis tunc finientis aurei ſeculi, intra fines ſuos ſeſe quiſque continuit, Ianus in Hetruria, & Saturnus in Latio, Tiberimque fines imperij eſſe inſtituit. Intra enim ſuam cuique patriam tunc de more regnum finiebatur. Limes igitur erat inter eos Tiberis, aræ vero limitum erant Ianiculum & Saturnia Capitolina. Hetruriam a Ianiculo Ianus, Latium a Saturno Saturnus cognominauit. Ad radices enim Capitolij Saturnus condiderat, vti Ianus Ianiculum. Hæc igitur fuit prima Romæ origo ad radices Capitolij, vbi tunc paſcua bobus erat.

Facies tunc agri huius inſtar arcus erat, cuius chorda eſſet alueus Tiberis: cornua ad ſolis quidem ortum, rupes Auentina; & ad occaſum Capitolina, media Palatina. Eadem Palatina rupes Tiberim a fronte proſpicit, a ſiniſtris Cœlio, a dextris Exquilino iungitur. Auentinus item a fronte Tiberim & Capenam tenet, ad dexteram Cœliolo ac Viminali hæret. Capitolium ante ſe Tiberim & portam Carmentalem cernit: hæret illi Quirinalis. Has rupes antiqui Septem colles & ſeptem montes appellauerunt. Area huius arcus eſt qui quicquid campi iacet inter Auentinum & Capitolium, & a palatio ad Tiberim, Libyſſus antea, inde Argeus, poſt Vicus Thuſcus dictus. Paludes plures eo paſſim Tiberina inundatio efficiebat, quæ hanc aream non ſatis idoneam habitationi reddebant, antequam factis Vertumno ſacrificijs, in alueum ſuum Tiberis verteretur. Prima igitur origo Romæ fuit collis Capitolinus, antea Saturnia dictus. Sequens hunc Auentinus fuit, habitatus ab Atlante Italo, e Sicilia aduecto eo contra fratrem ſuum Heſperum, in cuius tutela erat Hetruriæ imperium adhuc

Iano

Iano puero, & immaturo ad munera regia & regni. Porro Italus dimicare a Iano & Hetruſcis prohibitus, in Auentino conſedit; ad cuius radices iuxta Tiberim ope atque conſilio Iani Capenam oppidulum condidit, & regionem eius permiſſu Italiam dixit. Mox Heſpero fratre rebus humanis exempto, Italus in tutelam Ianum & Hetruriam ſuſcipiens, omnem circa Tiberim regionem, extinctis vltro citroque alijs cognominibus, a ſe Italiam nuncupauit. Hæc eſt priſca Italia: cuius nomen ſenſim ab Alpium radicibus ad fretum Siculum, ac ipſi Siciliæ communicatum eſt. Denominare enim, aut imponere gentibus & locis noua nomina, tantum regum ducumque ius eſt. Suſcepto igitur Italus Italiæ imperio, tum filiam ſuam Romam nomine Siculis & Aboriginibus in Latio præfecit: quæ relicta Capena medium Palatinum tenuit, & in vertice, vbi hæret Exquilion, Romam oppidulum condidit, quod Valentiam ſonat. Poſt eius obitum ob paludes neglectum oppidum fuit vſque ad aduentum Euandri, qui cum oppido ſimul reſtituit nomen. Subſidens ſeptem collibus campus Argeus dictus eſt, ab Argo Euandri hoſpite, & comitibus Argiui Herculis, qui ad Euandrum venerunt, & in Saturnia ſubſederunt. Hinc extrema Argileta dicuntur. Superior Argiletus dicitur in principio vici Thuſci ſub Cœliolo, inter circum maximum & Auentinum, vbi letum Argi ſimul & ſepulcrum eſt. Imus vero Argiletus eſt vbi Ianus quadrifrons, qui & Vertumnus, in fine vici Thuſci ad radices Capitolij in foro boario, vbi Saturniæ veſtigia. Tres igitur colles primum coluere ante Romulum: medium quidem Roma filia Itali, extremos vero Saturnus & Italus.

Q. FABII PICTORIS
LIBER II.

DENIQVE Romulus potitus rerum Albanarum, & vſus maxima familiaritate regum Hetruriæ, & rex primus ex regulis Italiæ creatus in Latio, Romam oppidum in regiam Tetrapolim vertit, inque Palatino colle fundauit. Aſcito enim ex Hetruria vate atque ſacerdote, Olympum fecit pomœriumqua ſacrauit: & aratro ab Olympo in vico Thuſco per Palatium circumducens, ab imo collis ad verticem quadratam vrbem ſignauit. In vertice collis hærente Exquilino Romam oppidulum ampliauit, & e regione loco proximo Cœlio Veliam extruxit. Cæterum in decliuo ad ima verſus Circum maximum Germaliam fundauit, vbi iuſſu Amulij fuerant expoſiti. Hac enim antea labebatur Tiberis. Ab ea autem verſus Exquilias forum Romanum ædificauit. Et ita Romulus ex re-

gulo primus rex a Thuſcis declaratus eſt. Quam rem per occaſionem acceptā Mithridates rex Aſiæ pro ignominia Romanis oppoſuit, quod vernæ fuiſſent Thuſcorum. Quarto autem menſe ab vrbe condita, perpetratum eſt audax facinus in raptu Latinarum & Sabinarum. Primi ex Latinis bellū mouerunt in Romulum Cæninenſes, Antennates & Cruſtumini. Romulus auxilio implorato a Thuſcis, cum Cœlio rege Hetruriæ primum ex his triumphum retulit. Et ob id quartus vrbis collis a Thuſcis habitari cœptus eſt, & Cœlius dictus. Subinde Sabini bellum ingens orſi, coëgerunt Romulum denuo a Lucumonibus ſocios milites expetere. Galerito Lucumoni Ardeæ negotium datum eſt : magna Hetruſcorum exque vrbe Salpinatum manu venit. Qui cum offendiſſet Capitolium captum a Sabinis, ipſe proximum Capitolio Quirinalem pro Romulo muniuit. Verum cum Romulus audax ſub Capitolium Sabinos aggreſſus vulneratus fugeret, illumque ad portam Palatinam ſecuti Sabini Roma potituri viderētur, illico Galeritus e Quirinali delapſus, viamque retro in Capitolium pedē ferendi adimens, vbi nunc Ianus quadrifrons, a tergo Sabinos aggreſſus, vnde fabula eiaculatæ aquæ ſulphureæ eſt, in fugam vertit. Animaduerſa re, Romulus reintegratis viribus & ipſe a fronte cędebat, adeo vt Metius in paludem ſeſe cum equo armatus iniiceret. Cædes ingēs fiebat, & ne vnus quidem euaſiſſet, ni fœminę occurriſſent. fœdere icto, Romulus vrbis agrum diuiſit in partes tris, æquis collibus. Sabinis & Tatio Capitolium & Quirinalis: Romulo ſequentes, Exquilinus & Palatinus, in quo Roma: Galerito & Luceribus Thuſcis Cœlius & Cœliolus obuenerunt. Auentinum Romulus neminem paſſus eſt habitare. Nam fratri Remo illum ſacrum eſſe voluit vſq; Helernam. Cumque cōceſſiſſet naturę Cœlius, & Galeritus rex Hetruriæ ſucceſſiſſet, conſenſu tribuum Cœliolus, & ab eo tota arcus area ſeptem collibus ſubiacens, Thuſcis data, & ſacrificio Iano Vertumno facto, egeſtiſque paludibus habitabilis reddita, & vicus Thuſcus dicta. Tribus igitur gentibus conflata principio vrbs Roma habitataque fuit. nomina impoſuit princeps Thuſcus. Nam hi tunc Italiæ imminebant imperio. Tatienſes a Tatio, Ramnenſes a Romulo vocauit Hoc enim nomine illum ab euentu nuncupauit lingua Hetruſca ex Hetruria ortunda Larentia, & nupta prius viro Thuſco Fauſtulo, & inde Hetruſco Tarrutio. Suam vero tribum a ſe Lucerum dixit. Nam alia Trometina eſt, a loco Cœlij.

Hæc origo vrbis Romæ ſolum veteris ſepticollis, cum arcus area habitatæ, nunc vero ab his collibus in alios colles & conualles in immēſum prolatæ. Cæterum nomina eiuſdem veteris Romæ hæc ſunt. Nomina collium: Capitolium, Quirinalis, Exquilinus, Palatinus, Cœlius, Cœliolus, Rumurius, qui & Auentinus. Porro in area hæc nomina ſunt: Libyſſus, Circus maximus,

Forum

Forum tranſitorium, Argiletus ſuperior, Argiletus imus, Via ſacra, Senaculum, Concordia, Grçcoſtaſis, Aedes Saturni, Vertumnus qui & Ianus quadrifrons, Forum boarium, Vicus longus, Vicus Arnienſis, Vicus Stellatinus, Sabatinus, Lartenianus, qui & Veiens, Phaliſcus: quorum cognomina a Thuſcis ſunt commigrantibus in ciuitatem Romanam. Item Herculis ara, vbi Olympus, & initium ſacri ærarij iunctim a Germalia ad ſacram viam, vnde & nominis origo. Forum piſcarium, Porta Carmentalis, Aedes Pudicitiæ, Rotunda Herculis, Forum venaliū, Lacus Curtius. Suburra, Suburbanum, Saturnia, vbi nunc ędes eius atque ętarium. Hæc vbi Roma vetus. In parte Romæ ſunt Hetruriæ loca, Antipolis, Ianiculum, Vaticanū, & Tiberis, limes imperij, Volturreni inter veteres Ianum & Saturnum, qui a principe illius vrbe Volturrena per ſyncopā dictus eſt Volturnus, & ob id Thuſcus, nō Latinus. Qnod vero Vulturnum ſine ſyncopa & compoſitione primitiuum eſt nomen, notat fluuium in Samnio, & oppidum Romanum in litore, a quo Vulturnus deus Tiberinus in Latio, ſicut & Volturnus vt caput imperij in Hetruria. Quam ob rem deum Tiberinum ſuum dicit eſſe Roma atq; Hetruria, eundem & Ianum Vertumnum, & ab his dictum Vadimona.

C. SEMPRONIVS DE DIVISIONE ITALIÆ, ET ORIGINE VRBIS ROMÆ.

VNiuerſa Italia a iugis Alpium oritur, & in Leucopetram fretumq; Siculum terminatur. Cingitur ſupero & infero mari, & ſecatur Apennino, qui a iugis Alpium ortus, per mediam Italiam a Liguribus ad Anconam porrectus, inde paulatim vſque Venuſiam reflexus, ibi ex tranſuerſo diuidit Italiā, ex altera parte Brunduſium, altera Veliam attingens, circum ſinum Tarentinum, quē Auſones primum, inde Aborigines Græci poſt Oenotrum Arcadem tenuere: a quibus Magna Græcia nuncupatur, in qua ſunt Oenotrij, Calabres, Salentini, Magna Græcia, atq; Brutij. Porro antiquitus Italia in medium Apenninum, & in ciſapēninum ad inferum mare, & in tranſapenninū ad ſuperum pelagus, & in Alpes a Rhetijs ad Ligures diuidebatur.

DIVISIO ALPIVM.

Alpes ipſæ tribus partitionibus ſecantur: prima Ligurum, quod ab eis oriantur: A Nicæa ad Pœninum ſequens: ab eo ad Ocram montem, Pœninus dictus a tranſitu Hannibalis. Tertia Tauriſana vſque in Hiſtriam. Omnibus alpinis, exceptis Liguribus, notiſſima origo Hetruſca eſt, præcipue Rhetijs.

DE APENNINO.

Apenninus diuiditur in Ligures montanos, Apuanos, Vmbros, Sabinos, Sabellos, Hetruſcos. Ligures dicti ſunt a Ligure Phaethontis filio, qui omnium primus multis ſeculis ante Græcos ex Attica colonias in Italiam tranſportauit, adiecitque atque miſcuit antiquiſſimis Italiæ populis ab oſtiis Tiberinis vſque Nicæam. Hinc veteres omnem maritimam dixerunt Liguriam. Itaque pars Apennini a Nicæa ad fontes Macræ Ligures montanos alit, quibus origo eſt a Genio & Ligure. A fontibus vero Macræ ad fontes Tiberis, Apenninum colunt Ligures Apuani, Hetruſcis orti, cognomines veteribus Gallis, vt M. Antonius prodit. Portionem vero Apennini a fontibus Tiberis ad Nar inhabitant Vmbri, prima veterum Gallorum proles, vt Auguſtus ſcribit. Ab amne vero Nare vſque ad fontes Silaris, montes tenent Sabini, quibus Saga eſt origo. Nam Sangni gentilis Sabi fuit. Hi paulo ante ruinas Troiæ diſciplinas Hetruſcas didicere, & ius diuinum & humanum a Megale Tyrrheno perceperunt. Rurſum a fontibus Silaris ad fontes Volturreni & Sarni, Sabelli, proles Sabinorum, incolunt, quos Romani Samnites, Græci vero Saunitas vocant. Portionem vero Apennini a fontibus Sarni vſque ad magnam Græciam Thuſci tenuerunt, & reſiduam Græci. Hactenus de diuiſione Apennini & Alpium, & origine habitantium in eo.

DE DIVISIONE PLANAE ITALIAE.

Ciſapenninam Italiam flumina diuidunt, & itidem tranſapenninam. Padus amnis Galliam ciſalpinam primo diſcreuit. Ciſpadanam omnem miſſis colonijs tenuere Thuſci. Doria Thuſcorum prima familia incoluit principio ab Aſca colonia vſque Parmam, a qua & fluuius Doria, & regio prius Doria, nunc Aemilia. A Parma item ad Bononiam Bianora a duce, nũc Aurelia: Flaminia item a Bononia ad Rubiconem amnem, antea Felſina a principe Hetruriæ, miſſis colonijs Lamonibus. A Rubicone ad Anconam, Senonum Gallia Togata dicitur, ab his qui duce Arunte primi in Italiam tranſcenderunt Alpes: a quibus ſenſim pulſi Hetruſci a ciſpadana & tranſpadana regione, quæ nunc Galliæ nomen habet. & quidem omnem tranſpadanam regionem Thuſcorum prolem fuiſſe, inter omnes autores conuenit, manentq; veſtigia vrbs Mantua, Lacus Hetruſca origine dictus Larius, quod a patricijs Volturrenis omnia ea loca principio poſſeſſa fuerint vſque Veronam. Hinc circa Larium

lacum

lacum a principibus dicta vallis Volturrena, & Verona a Vera Thuſcorum familia,& ab Atria eorundem colonia fluuius Veronæ argumenta ſeruanti. Nam vſque Atrianum fluuiũ, qui limes eſt Volturrenorum & Venetiarum, tenuere Hetruſci:& Venetias principio quidem Phaëthontei, poſtea Troiani eiſdem mixti coluerunt. Hæc de tranſapennina Italia & Apennino monte inter autores conueniunt

DE TRANSALPINA ITALIA.

Tranſapennina vero ad inferũ mare veteres ita partiti ſunt per amnes. A Nicæa enim ad Macram tenent Ligures montani origine Phaëthontei A Macra item ad Arnum & portum Ligurnum incolunt Hetruſci, cognomine Ligures Apuani. Quos ſequuntur Ligures Hetruſci Populonij, a Ligurno portu ad caput Hetruriæ. A quo ad Tiberim ſunt Hetruſci Ligures Tyrrheni:in quibus ſunt campi compluti lapidum, clari pugna Herculis, adhuc Lamones dicti ab ipſius Herculis filio Lamone. Pari forma ab vltima Italia in Tiberim Romamque percurrendo, a Velia ad Silarim fluuium Lucani, a Samnitum duce Lucio orti, tenent. Ab eo ad Sarnum amnem Picentini habitant. A Sarno vero ad Volturnum fluuium incoluerunt Cumani quos ab agro nullis viribus Hetruſci, quamuis toti Italiæ imperitaret, potuerunt dimouere, aut in poteſtatem redigere. A Volturno amne ad Silarim Hetruſcorum vetuſtiſſimus ager fuit, in quo prius Oſcam dictam poſtea Capuam condiderunt A Liri autem vſq; Tiberim Saturnus cũ priſcis Aboriginibus fuit, origine ab Vmbris & Cameſenis editis, vbi eſt mons Capitolinus, aureo ſeculo a Saturno habitatus, vbi & nunc aurea Roma terrarum caput. quam ob rem parum cõſiderate quidam ſcribunt, Romã poſtremis ac nouis ſeculis a Romulo conditam,& appellatam atq; cœptam, cum nullum ex his tribus verum apud maiores inueniatur memoratum, ſed ſint ab eis contraria prodita. Nõ enim Roma a Romulo nomen habet:quippe quia geminis non Remus & Romulus nomina poſuit Fauſtulus Hetruſcus & regius paſtor, ſed Rumulum & Rumum illos ab euentu appellauit, quæ ſunt nomina Hetruſca Alioquin Romæ nomen, & nominis origo vulgata eſſet atque manifeſta, quæ occulta eſſe ſaluberrima religio ſanxit, ne ſi origo nominis Romæ clareſceret, eius deus, in cuius tutela Roma eſt,& a quo deriuationem habet, gentibus pateret,& euocaretur vt cæteri. Quam ob rẽ & Angerona ſilentij dea ante Iani feſtos dies colitur præ foribus, vt ne cui liceat illud palam efferre, quod ad ſalutem reipublicæ veteres ore obſignato intra pectoris arcana voluerunt contineri: cuius violatæ religionis pœnas primus luit Soranus. Non igitur a Romulo Roma, ſed e contra ab ipſa potius Roma, cuius adeo eſt occulta deriuatio, Romulus nomen habuit, quę ante ipſum Romulũ cœpta legitur coli añis paulominus octingetis ab Italo in

Auentina Capena, & filia eius Roma in Palatino colle, & ante hos pluſquam trecentis annis aureo ſeculo a Saturno, vbi nunc Saturni ædes ad radices Capitolini collis. At Romulus ſolum ex oppidulo Roma in Palatino colle quadratã & regiam reddidit, cuius quatuor portiones erant, Roma, Velia, Germalia, vbi ficus Ruminalis, & ædes Rumuli, a Dei occulta deriuatione poſtmodum Romuli. Condidit autem eam accitis amicis vatibus Hetruſcis, qui foſſa, vbi caput Cetauri eſt, pomœrioque ad prudentis vatis auſpicium ſacratis, circum Palatinum collẽ ſacro aratro cingi iuſſit XI. calendas Maias, horam inter ſecundam & tertiam, Sole in Tauro, Luna in Libra, Saturno Venere Marte Mercurio in Scorpione, & Ioue in Piſcibus, vt tradit Lucius Tarrutius Mathematicorum peritiſſimus. Sunt qui tradant illam conditam XII. Olympiade. Placet alijs octaua: Septima quibuſdam: Sexta completa nonnullis. Præualet omnibus his Eratoſthenis inuicta regula, vt aiunt. Sed cum Pomponius Atticus coram ſenatu atque doctiſſimis viris conferret Græcorum certiſſima tẽpora, compertum eſt quod ab Aenea, & Troia exciſa, per tẽpora regum Latinorum vſque ad Romulum regem iam creatum fluxerunt anni circiter triginta & quadringenti. Quare haud dubie condita eſt Roma Olympiade ſeptima, aut eius anno ſecundo. Condita autem fuit primum in monte Palatino: inde Sabinis & Thuſcis in fœdera coeuntibus, incoluerunt Sabini quidẽ Capitolium & Quirinalem, in quo Numa poſtea habitauit: Romulus & Ramnenſes Exquilinum, Palatinum, & Cœlium: Thuſci Luceres Viminalem, & ſubſidentem conuallem vſque ad ædem Saturni, & radices Capitolij. Remo fratri Auentinus ætate Romuli manſit. Hæ ſunt veræ tam priſcæ Italiæ quam vrbis Romæ antiquitates & origines. quibus quoniam plures Græci poſtremis tẽporibus in Italiam commigrantes commixti fuerunt, ob id a ſe principio emanaſſe Italiam falſo exiſtimauit Græca tum leuitas tum fabuloſitas. Quis enim ex antiquiſſimis non ſcribit a Iano Ianiculum, & Hetruſcos veteres Gallos conditos? Et tamen plures Græcorum tradũt a Tyrrheno Lydo, qui fuit nuper, & heri poſitos. Quinetiam & Tyrrhenam Thuſcorum regiam non puduit eos Romam aſſerere. Tanta videlicet impudentia cum eorum iactantia eſt, vt omnium gentium & imperiorum atque vrbium præclariſſimarum ſe conditores eſſe apertis ſæpe mendacijs conſcribant.

FINIS.

PHILO-

PHILONIS IVDÆI ANTIQVITATVM BIBLICARVM LIBER,

INCERTO INTERPRETE.

INITIO mundi Adam genuit tres filios,& vnam filiam,Cain,Noaba,Abel,& Seth:Et vixit Adam,poſtquam genuit Seth, annos DCC. & genuit filios duodecim, & filias octo: Et hæc ſunt nomina virorum, Aeliſeel,Suris, Aelamiel, Brabal, Naat, Harama,Zaſam,Maathal,& Anath:Et hæ filię eius,Phua,Iectas, Arebica,Siphatecia,Sabaaſin.Et vixit Seth annos cv. & genuit Enos:Et vixit Seth,poſtquam genuit Enos,annos DCCVII. & genuit filios tres,& filias tres:Et hæc ſunt nomina filiorum eius, Elidia, Phonna,& Matha:Filiarum vero, Malida, & Thila. Et vixit Enos annos CLXXX. & genuit Cainan:& vixit Enos poſtquam genuit Cainan, annos DCCXV. & genuit filios duos,& filiam: Et hæc ſunt nomina filiorum eius,Phoë,Thaal: Filiæ autem, Catennath. Et vixit Cainan annos DXX. & genuit Malalech: Et vixit Cainan, poſtquam genuit Malalech, annos DCCXXX.& genuit tres filios,& duas filias: Et hæc ſunt nomina virorum,Athac,Socer,Lopha:Et nomina filiarũ, Ana, & Leua.Et vixit Malalech annos CLXV.& procreauit Iareth:Et vixit Malalech,poſtquam procreauit Iareth, annos DCCXXX. & genuit filios ſeptem,& filias quinque:Et hæc ſunt nomina virorũ,Leta,Mata,Cechar,Melie,Suriel,Lodo,Otim: Et hæc ſunt nomina filiarum eius, Ada, & Noa,Iebal, Mada, Sella. Et vixit Iareth annos CLXXII. & genuit Enoc.Et vixit Iareth, poſtquã genuit Enoc,annos DCCC. & genuit filios quatuor, & filias duas:Et hæc ſunt nomina virorum,Lead,Anac,Soboac, & Ietar: Filiarum autem,Tetheco,Leſſe.Et vixit Enoc annos CLX. & V. & genuit Mathuſalam:Et vixit Enoc, poſtquam genuit Mathuſalam,annos CC.& genuit filios quinque & filias tres. Placuit autem Enoc deo in tempore illo,& non inueniebatur,quoniam tranſtulit illum deus.Nomina autem filiorum eius Anaz,Zeum, Achaum,Pheledi,Elid:Filiarum autem,Theth,Lephith, Leath. Et vixit Mathuſalam CLXXXVII. & genuit Lamech:& vixit Mathuſalam,poſtquam genuit Lamech, annos DCCLXXXII. & genuit duos filios, & duas filias:& hæc ſunt nomina virorum, Inab, & Rapho: Filiarum autem, Aluma, & Aniuga.Et vixit

Lamech annos CLXXXII. & genuit filium, & vocauit eum ſecundum natiuitatem ſuam Noe, dicens: Hic requiem dabit nobis, & terræ, ab his qui ſunt in ea, in quibus viſitabitur, propter iniquitatem operum malorum: & vixit Lamech, poſtquã procreauit Noë, annos DLXXX. & V. Et vixit Noe annos CCC. & genuit filios tres, Sem, Cham, Iapheth. Cain autem habitauit in terra tremens ſecundum quod conſtituit ei Deus, poſtquam interfecit Abel fratrem ſuum: & nomen mulieris eius Themech: & cognouit Cain Themech mulierem ſuam, & concepit, & peperit Enoc. Cain autem erat annorum quindecim, quando fecit hæc: & ex eo cœpit ædificare ciuitates, quouſque cõderet ciuitates ſeptem: & hæc ſunt nomina ciuitatũ: Nomen primæ ciuitatis ſecundum nomen filij ſui Enoc: Nomen autem ſecundæ ciuitatis Mauli, & tertiæ Leed, & nomẽ quartæ Tehe, & nomen quintæ Ieſca, nomen autem ſextæ Celet, & nomẽ ſeptimæ Iebbat: & vixit Cain poſtquã genuit Enoc, annos DCCXV. & genuit tres filios, & duas filias: & hæc ſunt nomina filiorum eius, Olad, Lizaph, Foſal: & filiarum eius, Citha, & Maac: & facti ſunt omnes dies Cain anni DCCXXX. & mortuus eſt. Tunc accepit Enoc mulierem de filiabus Seth, & genuit ei Ciram, & Cuuth, & Madab: Ciram autem genuit Matuſaël, Matuſaël autem genuit Lamech: Lamech autẽ accepit ſibi mulieres duas: nomẽ vni Ada: & nomen alteri, Sella: & peperit Ada Iobab: ipſe erat pater omniũ habitantiũ in tabernaculis, & paſcentiũ pecora: & iterũ genuit ei Iobal, qui initiauit docere omnẽ pſalmũ organorũ. In tẽpore illo cũ initiaſſent habitantes terrã operari iniqua, vnuſquiſq; in vxores proximi ſui, contaminantes eas, indignatus eſt Deus, & cœpit percutere cyneram, citharam, & omne organum dulcis pſalterij, & corrũpere terram. Sella autẽ genuit Thobel, & Nuha, & Theſſa: & hic eſt Thobel, qui oſtẽdit hominibus artes in plũbo, & ſtanno, & ferro, & æramento, & argento, & auro: & tunc cœperunt habitantes terrã facere ſculptilia, & adorare ea. Dixit autẽ Lamech ambabus mulieribus ſuis, Adæ & Sellæ: Audite vocẽ meam mulieres Lamech, & intẽdite in obſeruatione mea: quia viros corrupi pro me, & lactetes de mamillis abſtraxi, vt filijs meis oſtẽderẽ iniqua operari, & habitãtibus terrã: & nũc ſepties vindicabitur de Cain, de Lamech autẽ ſeptuagies ſepties. Et factũ eſt cũ cœpiſſent homines multiplicari ſuper terrã, filiæ ſpecioſæ natæ ſunt eis: & viderũt filij Dei filias hominũ, quoniã pulcherrimæ erãt: & acceperũt ſibi vxores ex omnib. quas elegerãt: & dixit Deus: Nõ dijudicabit ſpiritus meus in omnib. iſtis in ſecula, eo quod carnales ſunt: erũt autẽ anni eorũ centũ viginti, in quos poſuit terminos ſeculi. & in manib. eorũ ſcelera nõ extinguebãtur: & vidit deus, quoniã in omnib. inhabitãtibus terrã, adimpleta erãt opera malignitatũ, & iniquitatẽ cogitãtibus his in omnib. diebus, dixit: Delcã hominẽ, & omnia quæ germinata

ſunt

ſunt in terra: quoniã pœnitet in eo quod feci eum. Noë vero inuenit gratiã & miſericordiã ante dominum, & procreatio eius: Noë qui erat homo iuſtus, & immaculatus in progenie ſua, placuit domino: Ad quẽ dixit deus: Aduenit tẽpus omnium hominum habitantiũ ſuper terrã, quia peſſima ſunt opera eorum: & nunc facito tibi arcã de lignis cedrinis: & ſic eã facies: trecentorũ cubitorũ longitudo eius, & quinquaginta cubitorũ latitudo, & triginta cubitorũ altitudo: & ingredieris in arcam tu & mulier tua, & filij tui, & mulieres filiorũ tuorum tecũ: & diſponam teſtamentũ meum ad te, vt diſperdam omnes habitantes terram. De animalibus autẽ mundis, & de volatilibus cæli mundis, accipies ſeptem & ſeptem, maſculum & fœminam, vt poſſit viuificari ſemen eorum ſuper terrã. Nã de pecoribus, & de volatilibus immundis, accipies tibi duo & duo, maſculum & fœminam, ſimulq; accipies tibi & illis in eſcam. Et fecit Noë quæ præcepit ei deus, & ingreſſus eſt in arcam ipſe, & omnes filij eius cum eo: & factum eſt poſt ſeptem dies, cœpit aqua diluuij eſſe ſuper terrã: Et in illa die aperti ſunt omnes abyſſi, & fons magnus, & cataractæ cæli: & erat pluuia ſuper terrã XL dies & XL. noctes. Erat autẽ tunc annus milleſimus ſexcenteſimus quinquageſimus & ſecundus, ex quo fecerat deus cælũ & terrã, in die qua corrupta eſt terra, cũ habitãtib. in ea, propter iniquitatẽ operum eorũ. Et perſeuerante centum & quadraginta diebus cataclyſmo in terra ſuperfuit ſolus Noë, & qui cum eo erant in arca: & vt memoratus eſt deus Noë, minuit aquam. Et factum eſt in die nonageſimo ſiccauit deus terram, & dixit ad Noë: Exi de arca, tu & omnes qui tecũ ſunt, & creſcite, & multiplicamini ſuper terram. Et exiuit Noë de arca, ipſe & filij eius, & mulieres filiorum eius: & omnes beſtias, & reptilia, & volatilia, & pecora duxit ſecum, ſicut præcepit ei deus. Tunc ædificauit Noe aram domino, & accepit de omnibus pecoribus, & de volatilibus mundis, & obtulit holocauſtomata in aram, & acceptus eſt domino tanquam odor requietionis. Et dixit deus: Nõ adiiciã iam maledicere terræ pro homine, quoniam figura cordis hominis deſiit a iuuentute ſua. Et ideo non adiiciam ſimul diſperdere omnes viuẽtes, ſicut feci. Cum autem peccauerint inhabitantes terram, diiudicabo eos in fame, ſiue in gladio, ſiue in igne, ſiue in morte: & erit terrę motus, & diſpergẽtur in inhabitabilia: Terrã autem nõ adiiciã corrumpere aqua diluuij: & in omnibus diebus, terræ ſemẽtes & meſſes, frigus & calor, æſtas & autumnus, dies ac nox non requieſcet, quouſque rememorabor qui inhabitant terrã, donec cõpleantur tempora. Cum autem completi fuerint anni ſeculi, tunc quieſcet lumẽ, & extinguẽtur tenebræ, & viuificabo mortuos, & erigam dormiẽtes de terra, & reddet infernus debitũ ſuũ, & perditio reſtituet parathecẽ ſuã, vt reddã vnicuiq; ſecũdum opera ſua, & ſecundũ fructus adinuẽtionũ ſuarum quouſq;

iudicem inter animam & carnem:& requieſcet ſeculum, & extinguetur mors,& infernus claudet os ſuum,& non erit ſine fœtu terra,nec ſterilis habitantibus in ſe,& non coinquinabitur vllus,qui in me iuſtificatus eſt:& erit terra alia, & cælum aliud habitaculum ſempiternum. Et adiecit dominus ad Noe,& ad filios eius dicens:Ecce ego diſponam teſtamentum meum ad vos, & ad ſemen veſtrum poſt vos:& non adiiciam iam corrumpere aqua diluuij terram:& omne quod mouetur & viuit,erit vobis in cibum. Veruntamē carnem in ſanguine animæ edetis: Qui enim effundet ſanguinem hominis,ſanguis eius effundetur:quoniam ad imaginem dei factus eſt homo. Vos autem creſcite & multiplicamini,& implete terram ſicut multitudo piſcium multiplicantium in fluctibus. Et dixit deus: Hoc eſt teſtamentum quod diſpoſui inter me & vos:& erit cum innubilauero cælum nubibus,apparebit arcus meus in nube: & erit in memoriam teſtamenti inter me & vos,& inter omnes habitantes terram. Et fuerunt filij Noë, qui exierūt de arca:Sem,Cam,& Iapheth. Filij Iapheth, Magog,Madai,Nidiazec, Tubal,Mocteras, Cenez,Riphath,& Thegorma,Eliſa Deſſin,Cethin,Tudāt. Et filij Gomer, Thelez,Lud,Deberlet. Et filij Magog, Ceſſe,& Tripha,Pharuta, Ammiel,Golaza,Samanac. Et filij Dudē,Sallus,Pheluciti,Phallita. Et filij Tubal, Phanatanoua,Eteua. Et filij Tyras,Maac,Tabel, Callana,Samplameac,Elaz. Et filij Mellec,Amboradat,Vrac,Boſara. Et filij Cenez, Iubal, Zaraddana, Anac. Et filij Heri,Phuddet,Doad,Dephad, Zeath, Enoc. Et filij Torgama, Abiuth, Saphath,Aſapli, Zepthir. Et filij Eliſa & Zaac Zenez, Maſtiſa, Rira. Et filij Zepti, Macziel,Temna,Aela,Phinon. Et filij Teſſis, Meccul,Loon,Zelatabar. Et filij Duodennin,Itheb, Peat, Pheneth. Et hi ſunt qui diſperſi ſunt, & habitauerunt in terra apud Perſas & Nomadas, in inſulis quæ ſunt in mari. Et aſcendit Phanat,filius Dudeni,& præcepit fieri naues maris: & tunc diuiſa eſt pars tertia terræ. Domereth & filij eius acceperunt Ladech. Magog autem & filij eius acceperunt Degalmadam. .. & filij eius acceperunt Beſto. Iuban & filij eius acceperunt Ceel. Tubal & filij eius acceperunt Pheed. Miſech & filij eius acceperunt Nepthi. Iras & filij eius acceperūt .. Duodennut & filij eius acceperunt .. Godariphath & filij eius acceperūt Boſarra Tergoma & filij eius acceperunt .. Fudeliſa & filij eius acceperunt .. Thabolatheſis & filij eius acceperūt Marecham. Cethim & filij eius acceperunt Thaan. Dudennin & filij eius acceperunt Caruba. Et tunc cœperunt operari terram,& ſeminare ſuper eam:& cum ſitiret terra,exclamauerunt habitantes eam ad dominum, & exaudiuit eos,& ampliauit pluuia. & factum eſt cum deſcenderet pluuia ſuper terram,apparuit arcus in nube: & viderunt habitātes terram memoriam teſtameti, & ceciderunt in faciem ſuam, & immolauerunt offerentes holocauſtomata domino. Filij autem

tem Cam, Chus, & Meſtra, & Phuni, & Chanaan. Filij Ethij, Chus, Saba. & Tudan. Et filij Effuntenus, Zeleutelup, Geluc, Lephuc. Et filij Sidona, Endain, Racin, Simmin, Vruiu, Nenugin, Amathinnephin, Telaz, Elat, Cuſin. Chus autem genuit Nembroth ipſe initiauit eſſe ſuperbus ante dominum. Meſtra vero genuit Ludin, & Iuenugin, & Labin, & Latuin, & Petroſonun, & Ceslun: Vnde exierunt Philiſtini, & Cappadoces: & tunc cœperunt etiam & ipſi ædificare ciuitates: & hæ ſunt ciuitates, quas ædificauerunt, Sidona, & circumiacētia eius, id eſt, Reſun, Beoſamaza, Gerras, Calon, Dabircaino, Tellunlacis, Sodoma, & Gomorrá, Adama, & Segom. Et filij Sem, Elam, Aſſur, Arphaxa, Luzi, Aram: & filiæ, Aſſum, Gedrummeſe. Arphaxas autem genuit Sala, Sala genuit Heber: & Heber nati ſunt duo filij: nomen vni, Phalech: quoniam in diebus eius diuiſa eſt terra: & nomē fratris eius Ieptam. Iepta autē genuit Elimodan, & Salaſtra, & Mazaā, Rea, Dura, Vzia, Deglabal, Mimoel, Sabthphin, Euilac, Iubab Et filij Phalech, Ragau, Rephuth, Zepheram, Aculón, Sachar, Siphaz, Nabi, Suri, Seciur, Phalacus, Rapho, Phalthia, Saldephal, Zaphis, & Artemam, Heliphas. Hi filij Phalech, & hæc nomina eorum, & acceperunt ſibi vxores de filiabus Iectan, & generauerunt filios & filias, & compleuerunt terram. Ragau autem accepit ſibi mulierem, Melcham, filiam Ruth, & genuit ei Seruch: & quum factus fuiſſet dies partus eius, dixit: Ex iſto naſcetur in quarta generatione, qui ponat habitationē ſuper excelſa, & perfectus vocabitur, & immaculatus, & pater gentium erit, & non diſſoluetur teſtamentum eius, & ſemen eius in ſeculum multiplicabitur: & vixit Ragau, poſtquā genuit Seruch, annos CXVIII. Et genuit ſeptem filios, & quinque filias: & hæc ſunt nomina filiorum eius, Abielobth, Salma, Dedaſal, Zeneza, Accur, Nephes: & hæc nomina filiarum eius: Cedema, Deriſa, Seipha, Pheñita, Theila: & vixit Seruch annos XXIX. & genuit Nachor: & vixit Seruch, poſtquam genuit Nachor, annos LXVII. & genuit quatuor filios, & tres filias: & hęc ſunt nomina virorum, Zela, Zobadica, & Phodde: & hę filię eius, Tephila, Oda, Selipha. & vixit Nachor annos XXXIIII. & genuit Tharram: & vixit Nachor, poſtquam genuit Tharram, annos CC. & genuit VIII. filios, & V. filias: & hæc ſunt nomina virorum, Recap, Dediap, Berechap, Ioſac, Sital, Niſab, Nadab, Camoel: & filiæ eius, Eſca, Thiphabruna, Ceneta: & vixit Tharra annos LXX. & genuit Abram, & Nachor & Arram. Tharram autem genuit Loth. Tunc cœperunt hi qui habitabant in terra, inſpicere in aſtra, & inchoauerunt ex his imaginari, & diuinationes facere, & filios & filias ſuas traijcere per ignem. Serui autem & filij eius non ambulauerunt ſecundum eos. Et hæ ſunt generationes Noë in terris ſecundum tribus & linguas eorum, ex quibus diuiſæ ſunt gentes ſuper terram poſt diluuium. Tunc venientes filij Cam, poſuerūt ſibi principem Nembroth. Filij autem Iaphet, conſtituerūt ſibi Phenech

in ducem. Nam filij Sem, conuenientes præpoſuerunt ſibi principem Ieſtam: & cum veniſſent hi tres in vnum, fecerunt conſilium, vt inſpicientes conſideraret populum appropinquantium ſibi. Et hoc viuente adhuc Noe factum eſt, vt conuenirent omnes in vnũ, & habitauerũt vnanimes, & erat terra pacifica. Anno autẽ CCC. & quadrageſimo exitus Noe de Arca, poſtquam ſiccauit deus diluuium, cõſiderauerunt principes populũ ſuum: & inſpexit Phenech filius Iaphet, filij Gomer, omnes tranſeuntes ſecundũ ſceptra ducationis ſuæ, fuerũt numero VM.DCCC. Filiorũ autẽ Magog, omniũ tranſeuntiũ ſecundũ ſceptra ducatus ſui, factus eſt numerus VIM.CC. filij autẽ Madain omnes trãſeuntes ſecundũ ſceptra ducationum ſuarum, fuerunt numero VMDCC. Filij autẽ Tubal omnes tranſeuntes ſecundũ ſceptra ducationum ſuarum fuerunt numero IXMCCCC. Et filij Meſca omnes tranſeuntes ſecundũ ſceptra ducationũ ſuarum fuerunt numero VMDC. Filij vero Thiras. omnes tranſeuntes ſecundũ ſceptra ducationum ſuarũ fuerunt numero XIIMCCC. Et filij Ripa tranſeuntes ſecundum ſceptra ducationũ ſuarum fuerunt numero XIMD. Filij vero Torgoma, trãſeuntes ſecundũ ſceptra ducationis ſuæ, fuerunt numero XIIIIMCCCC. Nam filij Eliſa, tranſeuntes ſecundum ſceptra ducationis ſuæ fuerunt numero XIIIIMDCCCC. Filij autem Terſis omnes tranſeuntes ſecundum ſceptra ducationis ſuæ, fuerunt numero XIIMC. Nam filij Cethin, omnes tranſeuntes ſecundum ſceptra ducationis ſuæ fuerunt numero XVIIMCCC. Filij vero Doin, tranſeuntes ſecundum ſceptra ducationum ſuarum, fuerunt numero XVIIM-DCC. Et factus eſt numerus caſtrorum filiorum Iaphet, omnes virtutificati, & omnes in præcinctu armorum poſiti, in conſpectu ductorum ſuorum CXLMCCII. præter mulieres & pueros. Conſideratio Iaphet in pleno fuerunt numero CXLII. Et tranſiuit Nembrot ipſe & filius Cam, omnes tranſeuntes ſecundum ſceptra ducationũm ſuarum, inuenti ſunt numero XXIIIIM-DCCC. Filij Phua, omnes tranſeuntes ſecundũ ſceptra ducationum ſuarum facti ſunt numero XXVIIMDCC. Et filij Canam, omnes tranſeuntes ſecundum ſceptra ducationum ſuarum, inuenti ſunt numero XXXIIMDCCC. Filij vero Soba omnes trãſeuntes ſecundum ſceptra ducationum ſuarum, inuẽti ſunt numero IIIIMCCC. Et filij Lebilla, omnes tranſeuntes ſecundum ſceptra ducationum ſuarũ inuenti ſunt numero XXIIIMCCC. Filij vero Sata vniuerſi tranſeuntes ſecundum ſceptra ducationum ſuarum, inuenti ſunt numero XXVCCC. Et filij Remma, vniuerſi tranſeuntes ſecundum ſceptra ducationum ſuarum inuenti ſunt numero XXXDC. Filij vero Sabaca, omnes tranſeuntes ſecundum ſceptra ducationum ſuarum inuenti ſunt numero XLVICCCC. Et factus eſt numerus caſtrorum filiorum Cam, vniuerſi virtutis viri, & in apparatu armorum poſiti in conſpe-

conſpectu ducationum ſuarum CCXLIIIIDCCCC. præter mulieres & pueros. Et inſpexit Iectam filius Sem filios Elam, & fuerunt omnes tranſeuntes ſecūdum ſceptra ducationum ſuarum numero XLVII. Filij autem Aſſur omnes tranſeuntes ſecundum ſceptra ducationum ſuarum inuenti ſunt numero LXXVIII. Et filij ... vniuerſi tranſeuntes ſecundum ſceptra ducationum ſuarum inuenti ſunt numero LXXXVIICCC. Filij vero Lud, omnes tranſeuntes ſecundum ſceptra ducationum ſuarum, inuenti ſunt numero XXXDC. Factus eſt numerus filiorum Cam, ... Nam filij Arphaxa, vniuerſi tranſeuntes ſecundum ſceptra ducationum ſuarum numero CXIIIIDC. Et factus eſt omnis numerus eorū CCCXLVIIDC. Numerus caſtrorum filiorum Sem, omnes erant proficiſcentes in virtute & in præcepto belli, in conſpectu ducationum ſuarum IX. extra mulieres & pueros. Et hæ ſunt generationes Noë diuiſe poſitæ: quorum omniū numerus factus eſt in vnū DCCCCXIIII. Et hi omnes conſiderati ſunt adhuc viuente Noë : & iuxta Noë poſt cataclyſmum annos CCCL. & facti ſunt omnes dies Noë anni DCCCCL. & mortuus eſt. Tunc hi omnes qui diuiſi erant habitantes terram, poſtea congregati habitauerunt ſimul, & profecti ab oriente inuenerunt campum in terra Babylonis, & habitantes ibi dixerunt quique ad proximum ſuum: Ecce futurum eſt vt diſpergamur vnuſquiſque a fratre ſuo, & in nouiſſimis diebus alterutrum erimus expugnātes nos. Nunc ergo venite & ædificemus nobiſmet ipſis turrim, cuius caput erit vſque ad cælum, & faciemus nobis nomen & gloriam ſuper terram, & dixerunt vnuſquiſque ad proximum ſuum: Accipiamus lapides & ſcribamus ſinguli quique nomina noſtra in lapidibus, & incendamus eos igne, & erit quod peruſtum fuerit in luto & in latere: & acceperunt ſinguli quiq; lapides ſuos, extra viros duodecim, qui noluerunt accipere: & hæc nomina eorum, Abraham, Nachor, Loth, Ruge, Tenute, Zaba, Armodath, Iobab, Eſar, Abimahel, Saba, Auphin. Et comprehendit eos populus terræ, & adduxerunt eos ad principes ſuos, & dixerunt: Hi ſunt viri qui tranſgreſſi ſunt conſilia noſtra, & nolunt ambulare in viis noſtris. Et dixerunt ad eos duces: Quare noluiſtis mittere ſinguli quiq; lapides cum populo terræ? & illi reſponderunt, dicentes: Non mittimus vobiſcum lapides: nec coniungimur voluptati veſtræ. Vnum dominum nouimus, & ipſum adoramus. Et ſi nos mittatis in ignem cum lapidibus veſtris, non conſentiemus vobis. Et irati duces, dixerunt: Sicuti locuti ſunt, ſic eis facite: & niſi conſenſerint vobiſcum mittere lapides, conſumetis eos igne cum lapidibus veſtris. Et reſpondit Iectam, qui erat primus princeps ducum: Nō ſic, ſed dabitur eis ſpatium dierum ſeptem, & erit ſi pœnituerint ſuper conſiliis ſuis peſſimis, & voluerint vobiſcum mittere lapides, viuant: Si quo minus fiat, & ſecundum ſententiam veſtram tunc comburantur.

Ipſe autem quærebat quemadmodum ſaluaret eos de manibus populi,quoniam de tribu eorum erat & Deo ſeruiebat.Et his dictis,ſuſcepit eos & incluſit in domo regia:& vt factũ eſt veſpera, præcepit dux L. viros potentes in virtute vocari ad ſe, & dixit eis: Proficiſcimini, & accipite hac nocte viros iſtos qui incluſi ſunt in domo mea: & imponite ſtipendia eorum de domo mea ſuper decem iumenta : & ipſos viros adducite ad me , & ſtipendia eorum cum iumentis adducite in montana , & ſuſtinete eos ibidem,& ſcitote quia ſi quis ſcierit quæ dixi ad vos, igni vos concremabo. Et profecti viri fecerunt omnia quæ præcepit eis princeps eorum : & adduxerunt viros a domo eius noctu,& accipientes ſtipendia impoſuerunt iumentis, & duxerunt eos in montana ſicut præcepit eis.& vocauit ad ſe princeps illos duodecim viros,& dixit ad eos:Confidentes eſtote, & non timeatis:non enim moriemini:Fortis eſt enim Deus in quo cõfiditis:& ideo ſtabiles eſtote in ipſo : quia liberabit & ſaluabit vos: & ecce nunc præcepi quinquaginta viris, qui vos educãt acceptis ſtipendijs de domo mea,& præcedite in montana, & ſuſtinete vos in valle, & alios vobis dabo L.viros, qui deducãt vos vſq; illuc : & euntes abſcondite vos ibidem in valle, habentes aquam in potu defluentem de petris:& continete vos vſq; in dies XXX.donec pauſet animoſitas populi terræ & quouſq; Deus mittat iracundiam ſuper illos,& diſrumpat eos. Scio enim quia non permanebit conſiliũ iniquitatis quod conſiliati ſunt facere:quoniam vana eſt cogitatio eorum.& erit cum conſummati fuerint ſeptem dies,& quæſierint vos, & dicam eis: exeuntes & fracto oſtio carceris in quo erant incluſi,fugerunt nocte:& miſi ego cẽtum viros qui eos quærerent,& auocabo eos a pręſenti furore:& reſponderunt ad eum vndecim viri dicentes: Inuenerunt gratiã ſerui tui ante oculos tuos:quia ſoluimur nos de manibus ſuperborum horum. Abram autem ſolus tacuit:&dixit dux ad eum, Quare non reſpondes mihi Abram ſerue dei? Reſpondit Abram & dixit:Ecce ego fugio hodie in montana:& ſi euaſero ignem, exient de montibus feræ beſtiæ,& comedent nos, aut eſcæ nobis deficient,& moriemur fame, & inueniemur fugientes ante populum terræ,cadentes in peccatis noſtris.Et nunc viuit in quo confido:quia non mouebor de loco meo in quo poſuerunt me: & ſi fuerit aliquod peccatum meum,vt cõſumens conſumar,fiat voluntas dei.Et dixit ad eum dux: Sanguis tuus ſuper caput tuũ ſit,ſi nolueris proficiſci cum iſtis:ſi autem volueris , liberaberis. Nam ſi volueris remanere,ſecundum quod vis remane. Et dixit Abram:Non proficiſcar,ſed hic ero.Et accepit dux vndecim illos viros & alios L.miſit cum eis,& præcepit eis dicens,Expectate & vos in montanis vſq; in dies XV.cũ illis L. qui præmiſſi ſunt: & poſt reuertemini,&dicetis:Nõ inuenimus eos,ſicut illis priorib. dixi.Et ſciatis quia ſi quis pręterierit ex his omnibus verbis quæ

locutus ſum ad vos, igne cōburetur. Et profectis viris, accipiens Abram ſolum recluſit eum vbi fuerat incluſus, & tranſactis diebus ſeptem congregatus eſt populus, & dixerunt ad ducē ſuum dicentes: Redde nobis viros qui noluerunt cōſiliari nobiſcum, & coburemus eos igni. Et miſerunt duces qui adducerent eos: & non inuenerunt niſi ſolum Abram. Et congregati omnes ad duces ſuos dixerunt: Fugerunt homines quos incluſiſtis, euadentes conſilium noſtrum. Et dixit Phenech, & Nembroth ad Iectam: Vbi ſunt viri quos incluſiſti? At ille dixit: Frangentes fregerunt noctu. Ego autem miſi C. viros, qui quærerent eos, & præcepi, vt ſi inuenirent eos, non tantum igni cōcremarent, ſed & corpora eorum darent volatilibus cœli, & ſic perdant illos. Et tunc dixerunt illi: hunc ergo qui inuentus eſt ſolus, comburamus eum. Et acceperunt Abram, & adduxerunt eum ad duces ſuos, & dixerunt ad eum: Vbi ſunt qui tecum fuerunt? Et ille dixit: Ego nocte dormiens dormiebam: vbi expergefactus ſum, non inueni eos. Et accipiētes eum conſtruxerunt caminum, & incenderunt eum igni, & lapides concrematos igni miſerunt in caminum. Et tunc Iectam dux, liquefactus ſenſu accepit Abram, & miſit eum cum lateribus in caminum ignis. Deus autem commouit terræ motum grandem, & ebulliens ignis de camino, exiliuit in flammas & ſcintillas flammæ, & combuſſit omnes circunſtantes in conſpectu camini: & fuerūt omnes qui concremati ſunt in die illa LXXXIIII D. Abræ autem non eſt quidem modica facta læſura concrematione ignis: & ſurrexit Abram de camino: & concidit caminum ignis, & ſaluatus eſt Abram, & abiit ad XI. viros, qui erant abſconditi in montanis, & renunciauit eis omnia quæ contigerant illi. Et aſcēderunt cum eo de montanis gaudentes in nomine domini, & nemo eos obuians terruit die illa. Et cognominauerunt locum illum nomine Abraę, & lingua Chaldæorum Deli: quod interpretatur Deus. Et factum eſt poſt hæc verba, populus terræ non conuerſus eſt a cogitationibus ſuis malignis. Et conuenerunt iterum ad duces, & dixerunt: In ſecula non vincetur populus: & nunc conueniemus & ædificemus nobis ciuitatem & turrim: quæ nunquam auferetur. Et cum cæpiſſent fabricare, vidit Deus ciuitatem & turrim quam fabricabant filij hominum, & dixit: Ecce populus vnus & lingua vna, & hoc quod cæperunt facere, non ſuſtinebit terra, neque cœlum videns patietur: & erit, ſi modo non prohibeantur, vt omnia audeant quæ præſumpſerint facere. Et ideo ecce ego diuidam linguas eorum, & diſpergam eos in omnes regiones, vt non cognoſcat vnuſquiſque fratrem ſuum, nec audiant ſinguli quique linguam proximi ſui: & commendabo eos petris, & ædificabunt ſibi tabernacula in calamis ſtipularum, & effodient ſibi ſpeluncas, & quemadmodum feræ campi habitabunt ibi: & ſic erunt ante conſpe-

ctum meũ in omni tẽpore vt nunquã cogitent hæc: & tanquam ſtillicidium arbitrabor eos, & in ſcuto approximabo eos, & aliis in aqua finis veniet: alii autẽ ſiti ſiccabũtur. Et ante omnes hos eligã puerũ meum Abram: & eiiciã eumde territorio eorum, & adducã in terrã quam reſpexit oculus meus ab initio, cum peccauerunt ante conſpectum meum omnes inhabitantes terram: & adduxi aquã diluuii, & nõ exterminaui eã, ſed conſeruaui illã. Non enim dirupti ſunt in illa fontes iræ meæ neque deſcendit aqua conſummationis meę. Ibi enim faciam inhabitare puerum meum Abram: & diſponam teſtamentum meum cum eo, & ſemini eius benedicam, & dominabor ei Deus in æternum. Populi autem inhabitantes terram, cum initiaſſent ædificare turrim, diuiſit Deus linguas eorum, & mutauit eorum effigies. Et non cognouit vnuſquiſque fratrem ſuum, nec audiebant ſinguli quique linguam proximi ſui. Et ſic factum eſt: vt dum ædificatores miniſtris ſuis iuberent afferre lapides, illi afferrent aquam: & ſi depoſcerent aquam, illi afferrent ſtipulam. Et ſic intercisa cogitatione eorum ceſſauerunt ædificare ciuitatem, & diſperſit eos Dominus inde ſuper faciem totius terræ. Et propterea vocatum eſt nomen loci illius Confuſio: quoniam ibi Deus confudit linguas eorum, & inde diſperſit eos in faciem totius terræ. Abram autem exiuit inde, & habitauit in terra Chanaam, & accepit ſecum Loth filium fratris ſui: & Sarai mulierem ſuam. Et cum eſſet Sarai ſterilis, & non eſſet ei conceptus: tunc Abram tulit Agar ancillam ſuam, & peperit ei Iſmaël: Iſmael autem genuit duodecim filios. Tunc diſceſſit Loth ab Abram, & habitauit in Sodomis: Abram vero habitauit in terra Cam. Et viri Sodomorum, viri peſſimi, & peccatores valde. Et viſus eſt Deus Abram dicens: Semini tuo dabo terram hanc, & vocabitur nomen tuum Abraham, & Sarai vxor tua dicetur Sara. Et dabo tibi ex ea ſemen ſempiternum, & diſponam teſtamentum meum tecum. Et cognouit Abraham Saram vxorem ſuam, & concepit, & peperit Iſaac: Iſaac autem accepit ſibi mulierem de Meſopotamia, filiam Patuel, quæ concepit & genuit ei Eſau & Iacob. Eſau autem accepit ſibi mulieres Iudim filiam Bereu, & Baſſemech filiã Elon, & Elibeemam filiam Anan, & Manẽ filiã Samaël, & genuit ei Adeliphã. Et filii Adeliphã, Temar, Omar, Seſpor, Getan, Tenaz, Amalech. Et Iudin genuit Tenacis, Ieruebemas, Baſſemem, Rugil. Et filij Rugil, Naizar, Samaza. Et Elibeema genuit Aux, Ioollam, Coro. Manem genuit Tenetde, Thenatela. Iacob autem accepit ſibi mulieres filias Laban Aſiri, Lian, & Rachel, & duas concubinas, Ballan, & Zelpham. Et peperit ei Lia, Ruben, Simeon, Leui, Iudam, Iſachar, Zabulon, & Dinam ſororem eorum. Rachel autem enixa eſt Ioſeph & Beniamin. Ballam peperit Dan, & Neptalim. Et Zelpha peperit Gad, & Aſſer. Hi filii ſunt Iacob XII. & vna

& vna filia. Et habitauit Iacob in terra Chanaan, & Dinam filiam eius rapuit Sycem, filius Emor Correi, & humiliauit eam. Et ingreſſi ſunt filii Iacob Simeon, & Leui, & interfecerunt omnem ciuitatem eorum in ore gladii, & Dinam ſororem ſuam acceperunt, & exierũt inde. Et poſtea accepit eam in vxorẽ Iob, & genuit ex ea XIIII. filios & VI. filias, id eſt, VII. filios, & III. filias, antequam percuteretur in paſſione, & poſtea VII. filios & III. filias quando ſaluus factus eſt. Et hæc nomina eorum, Eliphac, Ermoe, Diaſat, Philias, Diffar, Zellud, Thelon. Et filias eius, Meru, Litaz, Zeli. Et ſicuti fuerunt nomina priorum, ſic & nouiſſimorum. Iacob autem & XII. filii eius habitauerunt in terra Chanaan, & oderant fratrem ſuum Ioſeph, quem & tradiderunt in Ægyptum Petephre Principi cocorum Pharaonis, & fuit apud eum annos XIIII. Et factum eſt poſteaquam vidit ſomnium rex Ægypti, & nunciauerunt ei de Ioſeph, & ſoluit ei ſomnia. Et factum eſt poſtquam ſoluit ei ſomnia fecit eum Pharao principem ſuper omnem terram Ægypti. In illo tempore facta eſt fames ſuper omnem terram, ſicut diiudicauerat Ioſeph. Et deſcenderunt fratres ſui emere eſcas in Ægypto, quoniam tantummodo in Ægypto erant eſcæ. Et cognouit Ioſeph fratres ſuos & agnitus eſt eis, & non malignatus eſt cum eis. Et miſit, & vocauit patrem ſuum de terra Chanaan, & deſcendit ad eum. Et hæc ſunt nomina filiorum Iſrael, qui deſcenderunt in Ægyptum cum Iacob, vnusquiſque in domo ſua, Filii Ruben, Enoc, & Phallut, Aſrom & Carmin. Filii autem Simeon, Namuel, & Ianunetdot, & Iacim, Eſaul filius Cananitidis. Filii vero Leui, Gerſon, Caat, & Merari. Nam filii Iudæ, Auna, Selon, Phares, Zarami. Filii autem Iſachar, Tola, & Phua, Iob, & Sombram. Filii vero Zabulon, Sarelon, & Iaillil: & Dina ſoror eorum peperit XIIII. filios, & VI. filias. Et hæ ſunt generationes filiorum quas peperit Iacob. Omnes animæ filiorum & filiarum LXXII. Filii autem Dan, Vſinam. Filii Neptalim, Betaal, Neemmu, Surem, Optiſarielet. Hæ generationes Balle, quas peperit Iacob. Omnes animæ VIII. Nam filii Gad, Sariel, Sua, Viſui, Mophat, & Sar. Soror eorum filia Seriebel, Melchiel. Hæ ſunt generationes Zelphæ mulieris Iacob quas peperit ei: & omnes animæ filiorum & filiarum numero X. Et filii Ioſeph, Ephraim, & Manaſſen. Beniamin vero generauit Gela, Esbel, Nanubal, Abocinephec, Vtundeus. Et hæ ſunt animæ quas peperit Rachel Iacob XIIII. Et deſcenderunt in Ægyptum, & habitauerunt ibi annos CCX. Et factum eſt poſt receſſum Ioſeph, multiplicati ſunt filii Iſrael & creuerunt valde. Et ſurrexit rex alius in Ægypto, qui non nouerat Ioſeph, & dixit populo ſuo: Ecce populus iſte multiplicatus eſt magis quam nos: Venite, conſilium habeamus aduerſus eum, vt non multiplicetur. Et iuſſit rex Ægypti omni populo ſuo dicens: Omnem

filium,qui natus fuerit Hebræis,in flumen abiicite,nã fœminas viuificate.Et reſpõderunt Ægyptii regi ſuo,dicẽtes:Maſculos eorũ interficiamus,& fœmina sſeruemus,vt eas noſtris demus ſeruis in vxores, & erit qui natus fuerit ex eis ſeruus, & ſeruiet nobis: & hoc eſt,quod peſſimum viſum eſt corã domino.Tunc ſeniores populi cõgregauerunt populũ cũ planctu, & planxerunt cum luctu, dicentes: ὠμοτοκεῖαν paſſa ſunt viſcera mulierum noſtrarum: fructus noſter inimicis noſtris traditus eſt, & nunc deficimus.At conſtituamus nobis terminos, vt non appropinquetur mulieri ſuæ vir, ne fructus ventris earum contaminetur, & viſcera noſtra idolis ſeruiant: melius eſt enim ſine filiis mori, donec ſciamus quid faciet Deus. Et reſpondit Anram, & dixit:Celerius eſt,vt in victoria minuatur ſeculum,aut immenſurabilis mundus concidat,aut cor abyſſi aſtra contingat, quam genus filiorum Iſrael minoretur. Et erit cum impletum fuerit teſtamentum, quod diſponens Deus locutus eſt ad Abraham, dicens: Habitando habitabunt nati tui in terra non ſua, & in ſeruitutem redigentur, & affligentur annis CCCC. Et ecce ex quo inuentus eſt ſermo Dei, quem dixit ad Abraham, ſunt anni CCCL. Ex eo, quod nos in Ægypto ſeruimus anni ſunt CXXX. Nunc ergo non permanebo in his, quæ vos determinatis, ſed ingrediens mulierem meam accipiam, & faciam filios, vt amplificemur ſuper terram. Non enim permanebit Deus in ira ſua, nec ſemper obliuiſcetur populi ſui, neque genus Iſrael in vanum proiiciet ſuper terram, nec in vanum diſpoſuit teſtamentum patribus noſtris:& cum adhuc non eſſemus, de his tamen locutus eſt Deus. Nunc ergo iens accipiam mulierem meam, & non acquieſcam præceptis regis:et,ſi rectum eſt ante oculos veſtros, ita faciamus omnes. Erit enim cum concipient mulieres noſtræ, non agnoſcentur tanquam in vtero habentes, quouſque compleantur menſes tres, ſicut & fecit mater noſtra Thamar: quia non fuit conſilium eius in fornicatione, ſed nolens recedere de filiis Iſrael recogitans dixit: Melius eſt mihi ſocero meo commixtã mori, quam Gentibus commiſceri, & abſcondit fructum ventris ſui vſque ad tertium menſem: tunc enim agnita eſt,& iens vt interficeretur, ſtatuit hoc,dicens: Cuius eſt hæc virga, & hic annulus,& melotis,de eo cõcepi. Et ſaluauit eam conſilium eius, de omni periculo. Nunc ergo faciamus & nos ſic. Et erit cum completum fuerit tempus parturitionis, ſi potuerimus non proiiciemus fructum ventris noſtri. Et quis ſciet, ſi pro hoc zelabitur Deus, vt liberet nos de humiliatione noſtra? Placuit verbum ante conſpectum Dei,quod cogitauit Anrã, & dixit Deus: Eo quod placuit ante conſpectum meum cogitatio Anræ, & non diſſipauit teſtamentum meum, inter me & patres eius diſpoſitum, & ideo ecce nunc quod genitum fuerit ex eo, mihi ſeruiet in æternum, & per eum faciam

mirabilia

mirabilia in domo Iacob, & faciam per eum ſigna & prodigia populo meo, quæ non feci vlli, & faciam in eis gloriam meam, & annunciabo eis vias meas. Ego Deus incendam pro eo lucernam meam, quæ habitet in eo, & oſtendam ei teſtamentum meum, quod non vidit vllus, & patefaciam ei ſuper excellentiam meam, & iuſtitias & iudicia, & lumen ſempiternum luceam ei, quoniam pro eo cogitaui in antiquis diebus, dicens: Non erit mediator ſpiritus meus in hominibus his in ſempiternum, eo quod ſunt caro: & erunt dies eorum anni c x x. Et profectus eſt Anra de tribu Leui & accepit vxorem de tribu ſua. & factum cum acceperat eam, imitati ſunt eum cæteri, & acceperunt vxores ſuas. Huic autem erat vnus filius, & vna filia, & nomen eorum Aaron, & Maria: & ſpiritus Dei incidit in Mariam nocte, & vidit ſomnium, & enarrauit parentibus ſuis mane, dicens: Vidi in hac nocte, & ecce vir ſtabat in veſte byſſina, & dixit mihi: Vade, & dic parentibus tuis: ecce quod naſcetur de vobis in aquam proiicietur, quoniam per eum aqua ſiccabitur. & faciam per eum ſigna, & ſaluabo populum meum, & ipſe ducatum eius aget ſemper. Et cum enarraſſet Maria ſomnium ſuum, non crediderunt ei parentes eius. Verbum autem regis Ægypti inualeſcebat contra filios Iſrael, & humiliabantur aggrauati in opere laterum. Iochebeth autem concepit de Anra, & abſcondit eum in vtero ſuo per tres menſes: non enim poterat amplius cælare eum, quia rex Ægypti præpoſuerat principes locorum, vt quando parerent Hebrææ, ſtatim in flumen proiicerent maſculos eorum: & accepit infantem ſuum, & fecit ei tybin de cortice arboris pini, & poſuit tybin in os fluminis. Ipſe autem puer natus eſt in teſtamento Dei, & in teſtamento carnis eius. Et factum eſt vt proiicerent eum, congregati omnes presbyteri, altercabantur cum Anra, dicentes: Nonne ij erant ſermones noſtri, quos locuti ſumus dicentes: Melius eſt nobis ſine filiis mori, quam fructus ventris noſtri in aquis proiiciantur? Et hæc dicentibus illis, non obaudiebat Anra. Filia autem Pharaonis deſcendit lauare in flumine, ſecundum quod in ſomnis viderat, & viderunt ancillæ eius tybin, & miſit vnam, & accepit, & aperuit eam. Et vidit puerum, & dum vidiſſet* in Zaticon. hoc eſt, in teſtamentum carnis dixit. De filiis Hebræorum eſt. Et ſumpſit, & nutriuit eum, & factus eſt ei filius, & cognominauit nomen eius, Moſes. Mater autem eius vocauit eum Melchil. Et nutritus eſt infans, & glorioſus factus eſt ſuper omnes homines, & liberauit per eum Deus filios Iſrael, ſicut dixerat. Rege autem Ægyptiorum mortuo, leuauit ſe alius rex, & afflixit omnem populum Iſrael. At illi clamauerunt ad Dominum, & exaudiuit eos. Et miſit Moſen, & liberauit eos de terra Ægyptiorum. Miſit quoque Deus ſuper eos decem plagas, & percuſſit eos. Hæ autem erant plagæ, id eſt, ſanguis, & ranæ,

grando,

grando,& mors iumentorum,locuſtæ, & cynifes, & intractabiles tenebræ, & mortalitas primitiuorum. Et dum exiſſent inde, & proficiſcerentur, adhuc obturatum eſt cor Ægyptiorum, & appoſuerunt perſequi eos, & inuenerunt eos iuxta mare rubrum. Et clamauerunt filij Iſrael ad Dominum ſuum, & dixerunt ad Moſen,dicentes:Ecce nunc aduenit tempus perditionis noſtrę:mare enim ante nos,& multitudo inimicorum poſt nos eſt, & nos in medio. Ob hoc nos eduxit Deus, aut hæc ſunt teſtamenta quæ diſpoſuit patribus noſtris, dicens: Semini veſtro dabo terram quam vos habitatis, vt nunc quod placitum eſt ante conſpectum ſuum, faciat in nobis? Tunc conſiderantes metum temporis filii Iſrael, in tres diuiſiones conſiliorum diuiſerunt ſententias ſuas:nam tribus Ruben, & tribus Iſachar,& tribus Zabulon, & tribus Simeon dixerunt: Venite mittamus nos in mare. Melius eſt enim nos in aqua mori,quam ab inimicis occidi. Tribus autem Gad, & tribus Aſſer, & tribus Dan, & Neptalim dixerunt: Non, ſed reuertamur cum eis, & ſi voluerint nobis donare vitam,ſeruiemus eis. Nam tribus Leui, & tribus Iuda, & Ioſeph, & tribus Beniamin dixerunt: Non ſic, ſed accipientes arma noſtra pugnemus cum eis, & erit Deus nobiſcum. Exclamauit & Moſes ad Dominum, & dixit: Domine Deus patrum noſtrorum, nonne tu dixiſti ad me: Vade, & dic filiis Liæ, miſit me Deus ad vos? Et nunc ecce adduxiſti populum tuum ad labium maris, & inimici perſecuti ſunt poſt eos, & tu Domine memor eſto nominis tui. Et dixit Deus: Quoniam exclamaſti ad me, tolle virgam tuam, & percute mare, & ſiccabitur. Et faciente hæc omnia Moſe, comminatus eſt Deus mari,& ſiccatum eſt mare:& ſteterunt maria aquarum, & apparuerunt profunda terræ, & denudata ſunt fundamenta habitationis a ſtridore timoris Dei,& ab inſpiratione irę Domini mei. Et pertranſiuit Iſrael per ſiccum in medio mari: & viderunt Ægyptii, & appoſuerunt perſequi eos,& Deus obdurauit ſenſum eorum, & non ſcierunt quoniam in mare ingrederentur. Factum eſt dum Ægyptii eſſent in mari, adiecit Deus præcipere mari, & dixit ad Moſen:Appone adhuc percutere mare, & fecit ſic: & pręcepit dominus mari, & reuerſum eſt in fluxus ſuos, & cooperuit Ægyptios,& currus, & equites eorum. Populum autem ſuum deduxit in eremum: quadraginta annis pluit de cœlo panem, & ortygometram adduxit eis de mare, & puteum aquę conſequentis eduxit eis. In columna autem nubis per diem deducebat eos, & in columna ignis per noctem lucebat eis. Et in menſe tertio profectionis filiorum Iſrael de terra Ægypti, venerunt in eremum Sina. & memoratus eſt Deus verborum ſuorum,& dixit: Dabo lumen mundo, & illuminabo inhabitabilia,& diſponam teſtamentum meum cum filiis hominum,& glorificabo populum meum ſuper omnes gentes, in quem eii-

ciam

tiam excelſa ſempiterna, quæ eis erunt in lumine, impiis vero in punitionem. Et dixit ad Moſen: Ecce ego vocabo te craſtina die, eſto paratus: & dic populo meo: Tribus diebus non aſcendat vir ad mulierem, & tertia die loquar ad te, & ad eos, & poſtea aſcendes ad me, & dabo verba mea in ore tuo, & illuminabis populũ meum in eo quod dedi in manus tuas legem ſempiternam, & in hac omnem orbem iudicabo: Erit enim hæc in teſtimonium. Si enim dixerint homines: Non ſciuimus te, & ideo non ſeruiuimus tibi, propterea hoc vindicabo in eis, quoniam non cognouerunt legem meam. Et fecit Moſes quæ præcepit ei Deus, & ſanctificauit populos, & dixit ad eos: Eſtote parati in tertium diem, quoniam poſt tres dies diſponet Dominus teſtamentum ſuum vobiſcum. Et ſanctificati ſunt populi. Et factum eſt in tertio die, ecce voces ſonantium & coruſcantium ſplendor, & vox organorum ſonabat fortiter. Pauor factus eſt in omni populo, qui erat in caſtris. Et eiecit Moſes populos obuiam Deo. Et ante montes ardebant igni, & terra tremuit, & colles conturbati ſunt, & montes voluebantur, & abyſſi ebulliebant, & omne habitabile mouebatur, & cœli plicabantur; & nubes hauriebant aquam, & flammæ ignis exardeſcebant, & tonitrua & fulgura frequentabant, & venti & procellæ ſtrepebant, aſtra congregabantur, & angeli præcurrebant, quouſque Deus poneret legem teſtamenti ſempiterni in filiis Iſrael, & daret præcepta æterna quæ non tranſient. Et tunc locutus eſt Dominus populo ſuo omnia verba hæc, dicens: Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſeruitutis. Deos ſculptiles nõ facies tibi, nec facies omne abominamẽtũ Solis & Lunæ, aut omnium ornamentorum cæli, nec omniumquę ſunt ſuper terram facies ſimilitudinem, nec eorum quæ repunt in aquis, vel ſuper terram. Ego ſum Dominus Deus tuus, Deus zelans, & reddens peccata dormientium in viuos filios impiorum, ſi in viis parentum ſuorum ambulabunt, vſque in tertiam & quartam progeniem, faciens miſericordiam in mille generationes his qui diligunt me, & cuſtodiunt mandata mea. Non accipies nomen Domini Dei tui in vanum, ne viæ meæ vanæ efficiantur. Abominatur enim eum Deus, qui accipit nomen eius in vanum. Conſerua diem ſabbati, ſanctifica eum. Sex diebus fac opera, ſeptima autem dies ſabbati Domini eſt. Non facies in eo omne opus, tu, & omnis operatio tua, niſi vt in ea laudes Dominum in eccleſia presbyterorum, & glorifices fortem in cathedra ſeniorum. In ſex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & mare, & omnia quæ ſunt in eis, & vniuerſum orbem, & inhabitabilem eremum, & quæcunque operantur, & omnem diſpoſitionem cœli, & pauſauit ſeptima die Deus. Propterea ſanctificauit Deus ſeptimam diem, quia requieuit in ea. Diliges patrem tuum, & matrem tuam, & timebis eos, & tunc

exurget lumen tuum, & præcipiam cælo, & reddet pluuiam ſuam, & terra accelerabit fructum ſuum, & multorum eris dierum,& habitabis in terra tua,& non eris ſine filiis,quia non deficiet ſemen tuum habitantium eam. Non mæchaberis,quia inimici tui non mæchati ſunt in te, ſed exiſti in manu excelſa. Non occides,eo quod dominati ſunt tibi inimici tui vt occiderent te,ſed vidiſti mortem eorum. Non eris falſus teſtis, aduerſus proximum tuum dicens falſum teſtimonium, ne falſum teſtimonium dicant contra te cuſtodes tui. Non concupiſces domum proximi tui,nec ea quæ habet,ne & alii concupiſcant terram tuam. Et vt quieuit Dominus loqui, populus in pauore timuit valde, & in lampadibus viderant montem ardentem igne,& dixerunt ad Moſen: Tu nobis loquere,& non loquatur Deus ad nos,ne forte moriamur. Ecce enim hodie ſcimus,quoniam loquitur Deus homini os ad os, vt viuat homo. Et nunc cognouimus vere,quoniam portauit terra vocem Dei cum tremore. Et dixit ad eos Moſes: Nolite timere: propterea enim vt probaret vos venit Deus, vt recipiatis timorem eius in vos, vt non peccetis.Et ſtetit omnis populus a longe.Moſes autem acceſſit ad nebulam, ſciens, quoniam ibi erat Deus: & tunc dixit ei Deus iuſtitias & iudicia ſua: & detinuit eum ſecum quadraginta dies, & quadraginta noctes, & ibi ei mandauit multa, & oſtendit ei lignum vitæ, de quo abſcidit, & accepit, & miſit in myrrha,& dulcis facta eſt aqua myrrhæ, & ſequebatur eos in eremo annis xl. & aſcendit in montem cum eis, & deſcendit in campos, & præcepit ei de tabernaculo, & arca domini, & de ſacrificio holocauſtomatum, & incenſorum, & de obſeruatione menſis,& candelabro,& de labro, & vaſis eius, & de hebdomade,& de logio,& de precioſiſſimis lapidibus, vt faciant ſic filii Iſrael: & oſtendit ei ſimilitudinem eorum vt faceret ſecundum exemplar quod viderat: & dixit ad eum: Facite mihi ſanctificationem, & erit tabernaculum gloriæ meæ in vobis. Et deſcendit Moſes,& cum perfuſus eſſet lumine inuiſibili,deſcendit in locum vbi lumen ſolis & lunæ eſt. vicit lumen faciei ſuæ ſplendorem ſolis & lunæ, & hoc neſciebat ipſe. Et factum eſt cum deſcenderet ad filios Iſrael, videntes non cognoſcebant eum. Cum autem locutus fuiſſet, tunc cognouerunt eum: & erat ſimile factum hoc, ſicut in Ægypto quando cognouit Ioſeph fratres ſuos, ipſi autem non cognouerunt eum: & factum eſt poſtea cum ſciret Moſes quoniam glorioſiſſima facta fuerat facies eius,fecit ſibi velamen vnde cooperiret faciem ſuam: & dum eſſet in monte, corruptum eſt cor populorum, & congregati ſunt ad Aaron,dicentes: Fac nobis deos quibus ſeruiamus, quemadmodum habent & cæteræ gentes: quoniam Moſes ille per quem facta ſunt mirabilia coram nobis, raptus eſt a nobis: & dixit ad eos Aaron: Æquo animo eſtote, Moſes enim veniet,

& appro-

& appropriabit nobis iudicium, & legem illuminabit nobis, & ſuper excellentiam Dei exponet ore ſuo, conſtituens iuſtitias generi noſtro. Et hæc loquente eo, non obaudierunt ei, vt compleretur verbum, quod dictum eſt in tempore quo peccauit populus ædificans turrim, cum dixit Deus: & nunc niſi prohibeam eis, omne quod præuiderint ſibi facere, præſument deterius. Timens autem Aaron, quoniam virtutificati erant populi valde, dixit ad eos: Afferte nobis inaures mulierum veſtrarum: & petierunt viri vnusquiſque mulierem ſuam, & ſtatim dederunt, & miſerũt eas in ignem: & effigiata ſunt in figuram, & exiuit vitulus conflatilis. Et dixit Dominus Moſi: Feſtina hinc, quoniam corruptus eſt populus, & præuaricatus eſt vias meas, quas præcepi ei. Quid ſi completæ fuiſſent ſponſiones, quas ſpopondi patribus veſtris, quando dixi eis: Semini veſtro dabo terram hanc, in qua habitatis? Ecce enim necdum ingreſſus eſt in terram, etiam portans iudicium, & reliquerunt me: & ideo ſcio quia ſi ingreſſi fuerint in terram ipſam, maiores iniquitates operabuntur: & nunc quoque relinquam eos, & conuerſus iterum concordabor eis, vt ædificetur mihi domus in eis, quæ & ipſa iterum deponetur, propter quod peccaturi ſunt in me: & erit mihi hominum genus tanquam ſtillicidium vrcei, & tanquam ſputum æſtimabitur. Et feſtinans Moſes deſcendit & vidit vitulum, & reſpexit in tabulas, & vidit quoniam non erant ſcriptæ, & feſtinans confregit eas: & apertæ ſunt manus eius, & factus eſt ſimilis mulieri parturienti in primitiuis ſuis: quæ cum tenetur in doloribus, & manus eius ſuper pectus illius, & virtus non erit quæ adiuuet partum eius. Et factum eſt poſt horam vnam, dixit in ſenſu ſuo: Non vſque ad victoriam poſſidet amaritudo, aut in ſempiternum præualet malum Et nunc exurgam & confortabo lumbos, quomodo ſi peccauerunt, non in vano erunt quæ ſurſum enarrata ſunt mihi. Et exurgens confregit vitulum, & miſit eum in aquam, & potauit populum. Et factum eſt ſi quis habuit in voluntate ſenſus ſui, vt perficeretur vitulus, abſcidebatur lingua eius, ſi quis vero coactus in timore conſenſerat, ſplendebat viſus eius. Et tunc aſcendit Moſes in montem, & orauit dominum, dicens: Ecce nunc tu Deus, qui plantaſti vineam hanc, & dediſti radices eius in abyſſum, & ſarmenta eius extendiſti vſq; ad ſedem tuam altiſſimam, reſpice in iſto tempore quia vinea iſta emiſit fructum ſuum, & non cognouit cultorem ſuum. Et modo ſi iraſceris in vineam tuam, vt eradices eam de abyſſo, & arefacias ſarmenta eius de ſede tua altiſſima & æterna, non vltra iam veniet abyſſus vt nutriat eam, nec thronus tuus vt refrigeret vineam tuam illam quam incendiſti. Tu es enim, qui omne lumen es, & domum tuam ornaſti lapidibus precioſis, & auro, & aromatibus, & iaſpide, & lignis balſami, & cinnamo, & radicibus myrrhæ, & coſti. Inſperſiſti

domum

domum tuam,& diuerſis eſcis,& ſuauitate diuerſi potus ſaturaſti eam. Si ergo non miſertus fueris vineæ tuæ, omnia Domine in vano facta ſunt, & non habebis qui te glorificet. Nam etſi aliam vineam plantaueris: nec hæc tibi credet, eo quod priorem diſſipaſti. Si enim relinquēs reliqueris ſeculū, & quis faciet tibi quod locutus es tanquā Deus? Et nunc contineatur furor tuus a vinea. maius quod a te prædictum eſt & quod dicendum eſt, & non fiat in vano labor tuus, nec in vilibus diſtrahatur hæreditas tua. Et dixit ei Deus: Ecce miſericors factus ſum iuxta ſermones tuos. Excide itaque tibi duas tabulas lapideas, de eo loco vnde excideras priores,& reſcribe in eis iuſtitias quę erāt in primis. Et feſtinauit Moſes, & fecit omnia quæ præcepit ei Deus. Et deſcēdens fecit tabulas, & vaſa eius, & arcam, & lucernam, & menſam, & thuribulum holocauſtomatum, & oppimidem, & logion, & lapides precioſos, & labrum, & baſes, omniaque quæ ei oſtenſa ſunt. Et compoſuit vniuerſa veſtimenta ſacerdotum, præcinctoriam quoque,& cæteras,& citharam, & laminam auream,& coronam ſanctam, & oleum vnctionis ſacerdotum, & ipſos ſacerdotes ſanctificauit. Et completis omnibus, vniuerſos eos operuit nubes. Tunc exclamauit Moſes ad Dominum, & locutus eſt ei Deus de tabernaculo, dicens: Hæc eſt lex thuribuli in qua immolabitis mihi,& exorabitis pro animabus veſtris. De his autem ex quibus offeretis mihi, offerte de pecoribus vitulum & ouem, & capram: nam de auibus turturem, & columbam. Et ſi facta fuerit in terra veſtra lepra, & erit vt purgetur leproſus, accipiant domino duos pullos viuos, & lignum cedrinum, & hyſſopum, & coccinum, & accedet ad ſacerdotem, & occidet vnum, vnum autem ſeruet, & ſtatuet leproſum in omnibus quæ præcepi in lege mea. Et erit cum obuiauerint vobis tempora, ſanctificabitis me in die feſtiuitatis,& iucundabimini in conſpectu meo in feſtiuitate Azymorum, & conſtituetis in conſpectu meo panem, celebrantes feſtiuitatem memorialem, quia in ea die exiſtis de terra Ægypti. Et in feſtiuitate hebdomadis, conſtituetis ante conſpectum meum panem, & facietis mihi oblationem pro fructibus veſtris: Nam feſtiuitas pſalphingarum in oblationem erit pro ſpeculatoribus veſtris, in eo quod præſpexi creaturam memores ſitis totius orbis, per initia. Oſtendentibus vobis, agnoſcam numerum mortuorum, & natorum per ieiunium miſericordiæ. Ieiunabitis enim mihi pro animabus veſtris, vt compleantur ſponſiones patrum veſtrorum. Et feſtiuitatem Scenophegiæ afferte mihi, & accipietis mihi fructum ligni ſpecioſum, & ramum palmæ, & ſalicum, & cedrum & ramos myrrhæ: & memor ero in pluuia totius terræ, & conſtituetur modus temporum, & conſtituam aſtra, & præcipiam nubibus, & ſonabunt venti, & percurrent coruſcationes, & erit turbo tonitruum, & hoc erit in ſignum ſempiternum. Et

num. Et rorem dabunt noctes, ſicut locutus ſum poſt diluuium terræ. Tunc præcepit ei de anno vitæ Noe & dixit ad eum: Hi ſunt anni quos diſpoſui poſt hebdomadas in quibus viſitaui ciuitatem hominum, in quo tempore oſtendi eis locum generationis, & colorem. Et dixit: Hic locus eſt quem docui protoplaſtum, dicens: Si non tranſgredieris quę tibi mandaui, omnia ſub te erunt: Ille autem tranſgreſſus eſt vias meas, & ſuaſus eſt de muliere ſua, & hæc ſeducta eſt de colubro. Et tunc conſtituta eſt mors in generationes hominum. Et adiecit Dominus adhuc oſtendere vias paradiſi, & dixit ei: Hæc ſunt quæ perdiderunt homines, non ambulantes in eis, quoniam peccauerunt in me. Et præcepit ei Dominus de ſaluatione animarum populi, & dixit: Si in viis meis ambulauerint, non relinquam eos, ſed miſerebor eis ſemper, & benedicam ſemen eorum & feſtinabit terra dare fructum ſuum, & pluuia erit eis in lucrificationem, & non ſterilizabit. Sciens autem ſcio, quoniam corrumpent vias ſuas, & relinquam eos, & obliuiſcentur teſtamenta quæ diſpoſui patribus eorum, & ego tamen non in ſempiterno obliuiſcar eos. Ipſi enim ſcient in nouiſſimis diebus, quoniam pro peccatis eorum derelictum eſt ſemen eorum, quia fidelis ſum in viis meis. Tunc dixit ad eum Deus: Incipe inſpicere plebem meam a XX. annis, & ſupra vſque ad XL. annos vt oſtendam nationibus veſtris, quantum annuntiaui patribus eorum in terra aliena. Quomodo quinquageſima parte eleuaui eos de terra Ægypti, quadraginta autem & nouem partes mortuæ ſunt in terra Ægypti. Dum inſiſteris eo, & cum inſpexeris, ſcribe numerum eorum, donec adimpleam omnia quæ locutus ſum patribus eorum, & donec conſtituam eos in terra ſua confidenter: quia nullum verbum de quibus locutus ſum patribus eorum minueram, ex his quæ dixi eis: Semen veſtrum tanquam ſtellæ cæli erit in multitudine. In numero ingredientur in terram, & in modico tempore ſine numero efficientur. Et tunc deſcendit Moſes, & numerauit eos, & erat numerus plebis DCIIIIMDL. Plebem autem Leui non dinumerauit cum eis, quoniam ſic præceptum erat ei, ſed enumerauit eos qui ſupra L. annos erant. Quorum numerus erat XLVIIMCCC. Et dinumerauit adhuc qui infra viginti annos, & factus eſt numerus eorum DCCCMDCCCL. Et tribum Leui perſpexit, & factus eſt omnis numerus eorũ CXXCCXDDCXXCCDCCCC. Et nuntiauit Moſes numerum eorum Deo. Et dixit ad eum Deus: Hi ſunt ſermones quos dixi patribus eorum in terra Ægypti, et poſui numerum in annis CCX. omnibus qui viderunt mirabilia mea. Et factus eſt numerus omnium nouies millies, decem millia, ducenties nonaginta et quinque millia hominum, præter mulieres. Et mortificaui omnem multitudinem eorum, quia non crediderunt mihi. Et ſuperfuit quinquageſima pars

ma pars de eis, et ſanctificaui eos mihi. Propterea præcipio generationi plebis meæ, vt dent mihi decimationes de fructibus ſuis, vt ſit in conſpectu meo in memoriam quantos labores abſtuli ab eis. Et vt deſcendit Moſes, et annuntiauit plebi hæc, plorauerunt et luxerunt, et habitauerunt circa eremum annis duobus. Et miſit Moſes exploratores explorare terram duodecim viros: ſic enim ei præceptum erat. Qui vt aſcenderunt, et conſpexerunt terram, reuerſi ſunt ad eum, et depoſuerunt fruges de fructibus terræ, et contribulauerunt cor populi, dicentes: Non poteritis hæreditare terram, quoniam ferreis vectibus clauſa eſt a potentibus ſuis. Duo autem viri de duodecim non ita locuti ſunt, ſed dixerunt: Sicut poſſunt ferra dura ſuperare aſtra: aut ſicut vincunt arma coruſcationes, aut extinguntur tonitrua a volatilibus, ſic poterunt iſti repugnare Domino. videbant enim quoniam in aſcenſu eorum coruſcationes lucebant aſtrorum, et ſequebantur tonitrua conſonantia eis. Et hæc nomina eorum, Chaleb filius Ieſſone, filii Beri, filii Batuel, filii Galipha, filii Cenem, filii Selunum, filii Selon, filii Ride. Secundus, Ieſus filius Naue, filii Eliphat, filii Gal, filii Nephelien, filii Emon, filii Saul, filii Dabra, filii Effrem, filii Ioſeph. Plebs autem non audierunt vocem duorum, ſed conturbati ſunt valde, et locuti ſunt dicentes: Nunquid hæc ſunt verba, quæ locutus eſt Deus, dicens: Inducam vos in terram fluentem lacte et melle? Et quomodo nunc eleuat nos, vt incidamus in rhomphæam, et mulieres noſtræ erunt in captiuitatem? Et his dictis, ſubito apparuit gloria Dei, et dixit Moſi: Sic perſeuerat populus, vt omnino non exaudiat me. Ecce nunc in vano non erit cogitatio quæ exiuit de me, præmittam angelum iræ meæ in ipſos, vt contribulet corpora eorum igni in eremo: ego autem mandabo angelis meis, qui cuſtodiunt eos, vt non rogent pro eis, quia animas eorum includam in theſauros tenebrarum, et dicam ſeruis meis patribus eorum: ecce hoc eſt ſemen cui locutus ſum, dicens: Adueniet ſemen veſtrum in terram non ſuam, et gentem cui ſeruierit ego iudicabo, et compleui verba mea, et tabefeci inimicos eorum, et ſubieci angelos ſub pedibus eorum, et nubem poſui in tabernaculum capitis eorum, et præcepi mari, et diſruptis ante faciem eorum abyſſis ſteterunt muri aquarum. Et nihil ſimile factum eſt verbo huic, ex qua die dixi: Congregentur aquæ ſub cælo in locum vnum vſque in hunc diem, et eduxi eos. Inimicos autem eorum interfeci, et adduxi eos in conſpectu meo vſque ad montem Sina. Et inclinaui cælos, et deſcendi incendere lucernam populo meo, et creaturæ ponere terminos, et docui eos, vt facerent mihi ſanctimonia, vt habitarem in eis, ipſi autem dereliquerunt me, et increduli facti ſunt verborum meorum, et euanuit ſenſus eorum. Et nunc ecce veniet dies, et faciam eis ſicut voluerunt, et corpora eorum deiiciam in

etiam in eremo. Et dixit Moſes: Nunquid antequam ſemen acciperes, quo hominem faceres ſuper terram, ego conſtitui vias eorum? Et ideo nunc ſuſtineat nos miſericordia tua vſque in finem, & pietas tua in longitudinem dierum. In tempore illo præcepit illi de fimbribus,& tunc reſtitit Choreb,& ducenti viri cum eo,& locuti ſunt,dicentes: Quid ſi ponitur nobis lex inſufferibilis? Et iratus eſt Deus,& dixit: Ego præcepi terræ,& dedi mihi hominem,& nati ſunt ei in primis duo filii: & ſurrexit maior & occidit minorem,& feſtinans terra deglutiuit ſanguinem eius.ego autem expuli Cain,& maledixi terræ,& locutus ſum Sion,dicens: Non adiicias vt deglutias ſanguinem,& nunc fortiter contaminatæ ſunt cogitationes hominum. Ecce ego præcipio terræ, & deglutiet corpus & animam pariter? & erit habitatio eorum in tenebris, & in perditione, & non morientur, ſed tabeſcent, quouſque rememorabor ſeculi, et ero innouans terram, & tunc morientur & non viuent, & auferetur vita eorum de numero omnium hominum,& non reſpuet eos infernus vltra, & perditio eorum non rememorabitur, & erit exitus eorum ſicut tribus gentium, quarum dixi non memorabor,id eſt,caſtra Ægyptiorum,& gentem quam perdideram aqua diluuii, & deglutiet eos terra,& non adiiciam amplius. Et loquente Moſe omnia verba hæc populo, adhuc diffidens erat Choreb, & viri eius: et miſit Choreb conuocari ſeptem filios ſuos, qui non fuerunt cum eo in conſilio. Illi autem mandauerunt ei dicentes: Sicut imaginem non oſtendit pictor per artem,niſi ante doctus fuerit,ita nos legem fortiſſimi accipientes quæ docet nos vias eius, non intrabimus in eas, niſi vt in eis ambulemus. Pater nos non genuit, ſed fortiſſimus nos plaſmauit: & nunc ſi ambulauerimus in viis eius,erimus filii ſui. Si autem tu diffidens es, ingredere viam tuam: & non aſcenderunt ad eum. Et factum eſt poſt hæc aperta eſt terra coram ipſis, & miſerunt ad eum filii eius dicentes: Si adhuc inſtat furor tuus quis te adiuuabit in die perditionis tuæ? Et non audiuit eos, & aperuit terra os ſuum,& deglutiuit eos, & domos eorũ. Et motũ eſt quater fundamentum terrę, vt deglutiret homines, ſicut præceptũ fuerat ei. Et ſuſpirauit poſt hæc Choreb,& ſynagoga eius,quouſque redderetur firmamẽtum terrę. Sinagogę autem plebis dixerunt Moſi: Non poſſumus manere in Syna loci huius, vnde glutitus eſt Choreb, & viri eius. Et ille dixit ad eos, Tollite de gyro eorum tabernacula veſtra, nec coniungamini peccatis eorum. Et fecerunt ſic. Tunc oſtenſum eſt genus ſacerdotale in electione tribus, & dictum eſt Moſi: Accipe per duodecim tribus ſingulas virgas,& pone eas in tabernaculo,& tunc ad quem locuta fuerit gloria mea,ipſius virga florebit, & auferam murmurationem de populo meo. Et fecit ſic Moſes.& poſuit XII. virgas, & proceſſit virga Aaron, & protulit florem, & fecit

& fecit ſemen amygdali. Erat autem illa ſimilitudo quæ tunc nata eſt, ſimilis operi quod operabatur Iſrael, dum eſſet in Meſopotamia apud Laban Syrum: quando tulit virgas amygdalinas, & poſuit eas in congregationem aquarum, & veniebant pecora bibere, & diuidebantur per virgas decoriatas, & pariebant albos hœdos, & guttis aſperſos, & varios. Propterea ſimilis facta eſt ſynagoga populi gregi ouium, & ſicut pariebant pecora ſecundum amygdalinas virgas, ſic conſtitutum eſt ſacerdotium per virgas amygdalinas. In illo tempore interfecit Moſes Seon & Og reges Amorręorum, & hæreditauit omnem terram eorum populo ſuo; & habitauerunt in ea. Balac autem erat rex Moab, inhabitans contra eos, & timuit valde, & miſit ad Balaam filium Beor interpretem ſomniorum, qui habitabat in Meſopotamia, & mandauit ei dicens: Ecce ego ſcio quomodo in regno patris mei Ephor, cum expugnarent eum Amorræi, maledixiſti eos; & traditi ſunt in conſpectum eius: & modo veni, & maledic populum iſtum quoniam multus eſt ſuper nos; & honorificabo te nimium. Et dixit Balaam: Ecce placuit Balac, & neſcit quoniam non ita eſt conſilium Dei, ſicut conſilium hominis. Ipſe autem non nouit, quoniam ſpiritus qui nobis datus eſt, in tempore datus eſt: viæ autem noſtræ non ſunt directæ, niſi velit Deus. Et nunc expectate hic, & videbo quid mihi loquatur dominus in hac nocte. Et dixit ad eum Deus per noctem: Qui ſunt viri, qui venerunt ad te? Et dixit Balaam: Vt quid Domine tentas genus hominum? Hi ergo non poſſunt ſuſtinere, quoniam tu plus ſcis quæ habentur in ſeculo, antequam fundares illud. Et nunc illumina ſeruum tuum, ſi rectum eſt vt proficiſcar cum eis. Et dixit ad eum: Nonne de hoc populo locutus ſum Abrahæ in viſu, dicens: Erit ſemen tuum tanquam ſydera cœli? quando leuaui eum ſuper firmamentum, & oſtendi ei omnium aſtrorum diſpoſitiones, & filium eius petii in holocauſtomata, & adduxit eum vt componeretur in ſacrario, ego autem reddidi eum patri ſuo. Et quia non contradixit, facta eſt oblatio eius in conſpectu meo acceptabilis, & pro ſanguine eius elegi iſtos. Nonne de hoc dixi, ego releuabo Abrahæ omnia quæ ego facio? Et Iacob cum luctaretur in puluere cum Angelo, qui ſtabat ſuper hymnos, non dimiſit eum donec benediceret illum? Et nunc ecce tu cogitas proficiſci cum eis vt maledicas quos elegi? Quod ſi maledixeris eos, quis erit qui benedicet te? Et ſurrexit Balaam mane, & dixit: Proficiſcimini viam veſtram, quoniam non vult me Deus venire vobiſcum. Et profecti ſunt, & retulerunt Balac quæ dicta fuerant de Balaam. Et adiecit Balac mittere alios viros ad Balaam, dicens: Ecce ego ſcio, quoniam cum offeras Deo holocauſtomata, reconciliabitur Deus hominibus, & nunc appone adhuc vt petas a Domino tuo, & roges in holocauſtis quantis voluerit. Quod ſi forte propiciabitur

piciabitur malis meis, habebis mercedem tuam, tum & Deus accipiet oblationes ſuas. Et dixit ad eos Balaam: Ecce inſipiens eſt filius Ephor, & neſcit quoniam inhabitat in gyro mortuorum, & nunc expectate hac nocte, & videbo quid mihi dicat Deus. Et dixit ad eum Deus: Vade cum eis, et erit via tua in ſcandalum, & ipſe Balac erit in perditionem. Et leuauit ſe mane, & profectus eſt cum eis, et venit aſina eius in itinere eremi, et vidit Angelũ, et aperuit oculos Balaam, et vidit Angelum, et adorauit eum in terra. Et dixit ad eum Angelus: Feſtina et vade, quia quæ dixeris fiet ei. Et venit in terram Moab, & ædificauit ſacrarium, et obtulit oblationes. Et cum vidiſſet partem populi, non permanſit in eo ſpiritus Dei: et tulit parabolam eius, et dixit: Ecce adduxit me Balac ad montem, dicens: Veni irrue in ignem hominum iſtorum quem aquæ extingnent. non ſuſtineo, ignem vero qui abſorbet aquam, quis ſuſtinebit? Et dixit illi, facilius eſt tollere fundamenta, et omne faſtigium eorum, et extinguere lumen ſolis, et intenebriſcare lumen lunæ, quam qui voluerit eradicare plantaginem fortiſſimi, aut exterminare vineam eius. Et ipſe neſciuit quoniam ideo elatus eſt ſenſus eius, vt feſtinet perditio eius. Ecce enim video hæreditatem quam oſtendit mihi fortiſſimus in nocte, et ecce dies venient, et admirabitur Moab quæ accidunt ei, quoniam voluit Balac muneribus perſuadere fortiſſimum, et pecuniis emere dogma. Nonne oportebat te interrogare, quæ miſit in Pharaonem, et in terram eius propter quod voluit in ſeruitutem redigere eos? Ecce vinea obumbrans in deſiderio multo, et qui zelabitur quoniam non marceſcit. Si autem quis dixerit in conſilio ſuo, quoniam in vano laborauit fortiſſimus, aut ſuperflue elegit eos, ecce nunc video ſalutem liberationis quæ futura eſt. Et continens eos retineo in ſonis vocis meæ, et non poſſum dicere quæ video oculis meis: quia modicum mihi ſupereſt ſancti ſpiritus, qui manet in me, quomodo cognoui, et per quod ſuaſus ſum a Balac, perdidi tempus vitæ meæ: ecce adhuc video hęreditatem diſſolutionis populi huius, et ſplendet ſuper ſplendorem fulgurum lumen eius, et leuior curſus eius ſagittis. Et veniet tempus: et ſuſpirabit Moab, et infirmi erunt ſeruientes Cham, qui hæc cogitauerunt ſuper eos. Ego autem ſtridebo dentibus, pro eo quod deductus ſum, et transgreſſus ſum, quæ dicta ſunt ad me nocte. Et prophetia mea manifeſta permanebit, et verba mea viuent, et ſapientes et intelligentes verba mea memorabuntur, quoniam ego cum maledixi perii, benedixi autem et non ſum benedictus. Et hæc dicens tacuit. Et dixit Balac: Fraudauit te Deus tuus multorum munerum meorum. Et tunc dixit ad eum Balaam: Veni, et conſiliemur quid facias eis. Elige ſpecioſas mulieres, quæ ſunt in nobis, et quæ in Mazia, et ſtatue eas ante eos nudas, et ornatas auro, et lapidibus precioſis, et

ſis, et erit cum viderint et concubuerint cum illis, peccabunt Domino ſuo, et incident in manus veſtras, quia aliter expugnare eos non potes. Et his dictis, auertit ſe Balaam, et reuerſus eſt in locum ſuum. Et poſt hæc ſeductus eſt populus poſt filias Moab: fecit enim Balac omnia quæ oſtendit ei Balaam. Et in tempore illo occidit Moſes populos, et media ſpolia eorum diuiſit populo. et cœpit manifeſtare eis verba legis, quæ locutus eſt eis in Oreb Deus, et locutus eſt ad illos dicens: ecce ego dormio cum patribus meis, et eam ad populum meum: Noui autem quia ſurgentes relinquetis diſpoſita vobis per me verba, et iraſcetur Deus in vobis, et derelinquet vos, et diſcedet de terra veſtra, et adducet ſuper vos odientes vos, et principabuntur vobis non vſque in finem, quia rememorabitur teſtamenti quod diſpoſuit ad patres veſtros. Tunc autem et vos, et filii veſtri, et omnes generationes veſtræ reſurgent poſt vos, et quærent diem mortis meæ, et dicent in corde ſuo: Quis dabit nobis paſtorem vnum ſicut Moſen, aut iudicem tanquam filiis Iſrael, qui in omni tempore oret pro peccatis noſtris, et exaudiatur pro iniquitatibus noſtris? Ego autem hodie teſtor vobis cælum et terram: quia cælum hoc audiet, et terra percipiet auribus: quia Deus reuelabit finem orbis, vt vobiſcum diſponat ſuper excelſa ſua, et incendens in vobis ſempiternam lucernam et recordabimini iniqui. Cum autem locutus ſum vobis, reſpondiſtis vos dicentes: Omnia quæ locutus eſt nobis Deus, faciemus et audiemus. Si autem transgreſſi fuerimus, aut corruperimus vias noſtras, vocabis ſuper nos teſtem, et abſcidet nos. Scitote autem quoniam panem angelorum manducaſtis XL. annis, et nunc ecce ego benedico tribus veſtras, antequam finis meus veniat. Vos autem ſcitote laborem meum quem laboraui vobiſcum, ex quo aſcendiſtis de terra Ægypti. Et his dictis, locutus eſt ad eum Deus tertio dicens: Ecce tu proficiſceris dormire cum patribus tuis. Exurget autem populus hic et requiret me, et obliuiſcetur legem meam in qua illuminaui eum, et relinquam ad tempus ſemen eorum. Tibi autem oſtendam terram priuſquam moriaris, ſed non ingredieris ibi in hoc ſeculo, ne videas ſculptilia in quibus incipiet populus hic implanari et deuiari. Demonſtrabo tibi locum, in quo mihi ſeruiet annos DCCXI, et poſt hæc tradetur in manus inimicorum ſuorum, et demolientur eum, et circundabunt eum alienigenæ: et erit in illa die ſecundum diem illum in quo contriui tabulas teſtamēti quas diſpoſui ad te in Oreb, et peccātibus illis, euolauit ex eis quod erat ſcriptū. Dies autē erat ſeptima decima meſis quarti. Et aſcendit Moſes in montē Oreb, ſicut præceperat ei Deus, et orauit dicēs: Ecce ego quidē cōpleui tēpus vitę meę, & cōpleui annos CXX. Et nunc peto, miſericordia tua cū populo tuo, et miſericordia tua cū hæreditate tua ſolidetur domine, et longanimitas

ganimitas tua in loco tuo ſuper electionis genus, quoniam tu præ omnibus dilexiſti eos. Et tu ſcis quoniam ego eram paſtor ouium,& cum paſcerem gregem in eremo, adduxi eos vſque in montem tuum Oreb; & tunc primum vidi angelum tuum ignitum de rubo: tu autem vocaſti me de rubo, & ego timui,& declinaui faciem meam, & miſiſti me ad eos, & liberaſti eos de Ægypto: inimicos autem eorum demerſiſti in aquam. & dediſti eis legem & iuſtitias in quibus viuent. Quis eſt autem homo qui tibi nõ peccauit? Quomodo conſtabilietur hæreditas tua ſi non miſertus fueris eis? Aut quis adhuc naſcetur, ſine peccato? Emendabis autem eos in tempore,& non in ira. Tunc oſtendit ei dominus terram & omnia quę ſunt in ea,& dixit: Hæc eſt terra quam dabo populo meo. Et oſtendit ei locum vnde eleuant nubes aquam, ad irrigandum omnem terram, & locum vnde accipit fluuius irrigationem, & terram Ægypti, & locum firmamenti, vnde bibet ſola terra ſancta. Et oſtendit ei locum vnde pluit manna populo vſque ad ſemitas paradiſi. Et oſtendit ei menſuras ſanctuarii, & numerum oblationum, & ſigna in quibus incipiant inſpicere cælum.& dixit: Hæc ſunt quæ prohibita ſunt generi hominum, quoniam peccauerunt ſibi. Et nunc virga tua in qua facta ſunt ſigna, erit in teſtimonia inter me et populum meum. Et cum peccauerint, iraſcar eis,& memorabor virgæ tuæ,& parcam eis iuxta miſericordiam meam: & erit virga tua in conſpectu meo in commemorationem omnium dierum,& ſimilabitur arcui in quo diſpoſui teſtamentum ad Noe, cum exiret de arca, dicens: Dabo arcum meum in nubem, & erit in ſignum inter me & homines ne vltra ſit aquę diluuium in omnem terram. Te autem accipiam inde & glorificabo te cum patribus tuis, & requiem dabo tibi in dormitione tua, & ſepeliam te cum pace,& lugebunt te omnes angeli, & militiæ contriſtabuntur. Nullus autem angelorum nec hominum ſciet ſepulchrum tuum in quo incipies ſepeliri, donec viſitem ſeculum, & excitabo te & patres tuos de terra Ægypti, in qua dormietis,& venietis ſimul,& habitabitis inhabitationem immortalem, quæ non tenetur in tempore. Cælum autem hoc erit in cõſpectu meo tanquam nebula currens,& tanquam dies tranſiens externus, & erit cum appropinquauerit viſitare orbem, iubebo annis,& præcipiam temporibus,& breuiabuntur, & accelerabuntur aſtra, & feſtinabit lumen ſolis in occaſum, & non permanebit lumen lunæ, quoniam feſtinabo excitare vos dormientes, vt quem oſtendi tibi locum ſanctificationis, in eo habitent omnes qui poſſunt viuere. Et dixit Moſes: Si adhuc potero petere, Domine, de te iuxta multitudinem miſericordię tuę, non indigneris mihi,& oſtende mihi quanta quantitas temporis tranſiit, & quanta remanſit. Et dixit ad eum iſtic mel apex magnus momenti plenitudo & cyathi guttum, & omnia com-

pleuit tempus: quatuor enim ſemis tranſierunt, & duæ ſemis ſuperſunt. Et audiens Moſes repletus eſt ſenſu, & mutata eſt effigies eius in gloria, & mortuus eſt in gloria ſecundum os Domini, & ſepeliuit eum iuxta quod promiſerat ei: & luxerunt Angeli in morte eius, & pręcedebant eum fulgura, & lampades, & ſagittę omnes vnanimes, & in illa die non eſt dictus hymnus militum pro receſſu Moſis, nec fuit talis dies ex eo quo fecit Deus hominem ſuper terram, nec erit talis adhuc in ſempiternum, vt humilietur pro hominibus hymnus Angelorum, quoniam valde amauit eum, & ſepeliuit eum per manus ſuas ſuper excelſam terram, & in lumine totius orbis. Et in tempore illo diſpoſuit Deus teſtamentum ſuum cum Ieſu filio Naue, qui remanſit de viris explorantium terram: quoniam ſors exierat in eos, vt non viderent terram, eo quod male locuti fuerant de ea, & propter hoc defuncta eſt generatio illa. Tunc dixit Deus ad Ieſum filium Naue: Vt quid luges, & vt quid ſperas in vanum, cogitans quod Moſes adhuc viuet? Et ideo ſuperflue ſuſtines quoniam defunctus eſt Moſes. Accipe veſtimenta ſapientiæ eius, & indue te, & zona ſcientiæ ipſius præcinge lumbos tuos, & immutaberis, & eris in virum alium. Nonne pro te locutus ſum Moſi ſeruo meo dicens: Iſte ducet populum meum poſt te, & in manum eius tradam reges Amorræorum? Et accepit Ieſus veſtimenta ſapientiæ, & veſtiuit ſe, & zona intelligentiæ præcinxit lumbos ſuos. Et factum eſt cum veſtiret ſe ea, incenſa eſt mens eius, & ſpiritus eius commotus eſt, & dixit populo: Ecce prima generatio defuncta eſt in eremo, eo quod contradixerint Deo ſuo. Et ecce nunc vos omnes duces ſcitote hodie, quia ſi proficiſcimini in viis Dei veſtri, dirigentur ſemitæ veſtræ. Si autem non obaudieritis voci eius, & ſimiles fueritis patribus veſtris, corrumpentur opera veſtra, & voſipſi confringemini, & peribit de terra nomen veſtrum. Et vbi erunt verba quæ locutus eſt Deus patribus veſtris? Nam etſi dixerunt gentes, forſitan defecit Deus, quoniam nõ liberauit populum ſuum, agnoſcentes tamen quod elegerit ſibi plebes alias, faciens cum eis mirabilia magna, tunc intelligent quoniam perſonam non accepit fortiſſimus. Sed quia peccaſtis per extollentiam, ideo abſtulit virtutem ſuam a vobis & ſubiecit vos. Et nunc exurgentes ponite cor veſtrum, vt ambuletis in viis Domini veſtri, & diriget vos. Et dixerunt ad eum populi: Ecce nos ſcimus hodie quæ prophetauerũt Eldat, & Modat, in diebus Moſis dicentes: Poſt requietionem Moſis, dabitur principatus Moſis Ieſu filio Naue. Et non zelatus eſt Moſes, ſed gauiſus eſt in auditu eorum: & ex hoc crediderunt omnes populi, quoniam tu his ducatum agas, & diuides eis in pace terram: & nunc etiam ſi fuerit conflictus, confortare & viriliter age, quoniam tu ſolus in Iſrael principaberis. Et hæc audiens Ieſus, cogitauit vt mitteret in Iericho exploratores.

ploratores. Et conuocauit Cenez, & Seeniamiam fratrem, duos filios Caleph, & dixit ad eos dicens, Ego & pater veſter miſſi ſumus per Moſen in eremo, & aſcendimus cum cæteris decem viris. Et reuertentes illi male locuti de terra, & diſſoluerunt cor populi, & diſſipati ſunt ipſi, & cor populi cum eis: ego autem & pater veſter ſoli compleuimus verbum Domini, & ecce viuimus hodie: & nunc mittam vos inſpicere terram Iericho, imitamini patrem veſtrum, & viuetis & vos. Et aſcendentes inſpexerunt ciuitatem. Et vt renuntiauerunt verbum, aſcenderunt populi, & expugnauerunt ciuitatem, & incenderunt eam igni. Et poſtquam defunctus eſt Moſes, deſiit manna deſcendere filiis Iſrael: & tunc cæperunt manducare de fructibus terræ. Et hæc ſunt tria quæ dedit populo ſuo Deus propter tres homines, id eſt, puteum aquæ myrrhæ pro Maria: & columnam nubis pro Aaron: & manna pro Moſe. Et finitis his tribus, ablata ſunt hæc tria dona ab illis. Populus autem & Ieſus pugnabant contra Amorrhæos: & inualeſcente pugna ſuper inimicos ſuos, per omnes dies Ieſu conſumpti ſunt XXX. & IX. reges, qui habitabant terram. Et dedit Ieſus in ſortem terram populo, vnicuique tribui ſecundum ſortes, iuxta quod præceptum fuerat ei. Tunc acceſſit ad eum Caleph, & locutus eſt dicens: Scis quoniam ambo in ſorte miſſi ſumus de Moſe ire cum ſpeculatoribus, & quia nos compleuimus ſermonem Domini, ecce nos viuimus modo, & nunc ſi eſt beneplacitum ante oculos tuos, detur Cinez filio meo in ſortem territorium trium turrium. Et benedixit eum Ieſus, & fecit ſic. & cum ſenuiſſet & proceſſior eſſet in diebus Ieſus, dixit ad eum Deus: Ecce tu ſeneſcis, & proceſſior es dierum, & terra facta eſt multa valde, & non eſt qui ſortiatur eam: & erit vt poſt receſſum tuum commiſceatur populus hic cum habitantibus terram, & ſeducentur poſt deos alienos. & derelinquam eos ſicut teſtatus ſum in ſermone meo ad Moſen: ſed tu teſtare eis antequam moriaris. Et dixit Ieſus: Tu præ omnibus ſcis Domine, quid agat cor maris antequam iraſcatur, et tu inueſtigaſti aſtra, et numeraſti ſtellas, et cõſtituiſti pluuiam, tu ſcis ſenſum omnium generationum antequam naſcantur: & nũc Domine largire populo tuo cor ſapiẽtiæ, & ſenſum prudẽtiæ: & erit cũ dabis hereditatibus tuis diſpoſitiones iſtas, nõ peccabũt corá te, & tu nõ iraſceris eis Nõne hæc verba ſunt quæ locutus ſum ante conſpectũ tuũ Domine, cum furatus eſt Achiras de anathemate, & traditus eſt populus ante te, & ego rogans in cõſpectu tuo dixi: Nonne melius erat nobis Domine, ſi mortui fuiſſemus in rubro mari, vbi demerſiſti inimicos noſtros: aut ſi defuncti fuiſſemus in eremo, ſicut patres noſtri, quam tradamur in manus Amorræorum, vt exterminaremur ſemper, & circa nos verbum eſt, nihil mali erit nobis, quoniam etſi trãſlata fuerit finis noſtra in mortem, tu tamen viuis, qui ante ſecula

& poſt ſecula es: & ſi non poteſt excogitare homo, vt proponat generationem vnam, vni dicit: corrumpit Deus quem elegit ſibi populum, & ecce nos erimus in inferno, tu tamen facies verbum tuum viuum: & nunc ſuſtineat plenitudo miſerationum tuarum populum tuum, & eligat hęreditas tua verum: quia ipſe & generatio eius principabuntur populo tuo. Nonne pro eo dixit pater noſter Iacob, dicens: Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius. Et nunc confirma prædictos ſermones, vt diſcant gentes terræ & tribus orbis, quoniam tu ſempiternus es. Et adiecit dicens: O Domine, ecce dies venient, & aſſimilabuntur domus Iſrael columbæ fœtanti, quæ collocans filios ſuos non relinquet, nec obliuiſcetur locum ſuum, ſicut & iſti conuerſi ab actibus ſuis, expugnabunt ſalutem quæ naſcitur eis. Et deſcendit Ieſus in Galgala, & ædificauit ſacrarium lapidibus fortiſſimis, & non intulit in eos ferrum, ſicuti præceperat Moſes, & ſtatuit lapides magnos in monte Gebal, & dealbauit eos, & ſcripſit ſuper eos verba legis, manifeſta valde: & congregauit omnem populum in vnum, & legit in aures eorum omnia verba legis. Et deſcēdens cum eis, leuauit ſupra ſacrarium ſacrificia pacifica, & hymnizauerunt valde, & leuauerunt arcam teſtamenti Domini de tabernaculo cum tympanis, & choris, & nablis, & cum citharis, & pſalteriis, & omni organo bene ſonanti. Et erant Sacerdotes & Leuitæ aſcendentes ante arcam, & iubilantes in pſalmis: & poſuerunt arcam ante conſpectum ſacrarii, & leuauerunt inſuper ſacrificia pacifica multa valde, & pſallebant vnanimiter omnis domus Iſrael in voce magna, dicens: Ecce compleuit Dominus noſter, quæ locutus eſt patribus noſtris, dicens: Semini veſtro dabo terram fluentem lacte & melle. Et ecce induxit nos in terram inimicorum noſtrorum, & ipſos tradidit confractos corde in conſpectu noſtro. & ipſe eſt Deus qui mandauit patribus noſtris in occultis animarum dicens: Ecce fecit Dominus omnia quæ locutus eſt ad nos in Oreb, & ſi cuſtodiat cor noſtrum vias eius, bene erit nobis, & filiis noſtris poſt nos. Et benedixit eis Ieſus, & dixit: Dabit Dominus vt permaneat in eo cor veſtrum per omnes dies, & non recedentes de nomine eius, perſeuerabit teſtamentum Domini vobiſcum, & non corrumpatur ſed vt ędificetur in vobis habitaculum Dei, ſicut locutus eſt, cum miſit in hæreditatem ſuam cum iucunditate & hilaritate. Et factum eſt poſt hæc cum audiſſet Ieſus & omnis Iſrael, quod filii Ruben, & filii Gad, & dimidia tribus Manaſſe, qui habitabant circa Iordanem, ędificaſſent ſibi altare, vt immolarent ſacrificia in eo, & feciſſent Sacerdotes in ſacrario, conturbati ſunt omnes populi valde, & venerunt ad eos in Silo. Et dixit ad eos Ieſus, & omnes presbyteri dicentes: Quæ ſunt hæc opera quæ facta ſunt vobiſcum, nec dum habitantibus nobis in terra noſtra? Nonne iſta ſunt verba quæ locu-

tus eſt ad vos Moſes in eremo dicens: Videte, ne ingredientes in terram veſtram exterminetis opera veſtra, & corrumpatis omnem populum iſtum? Et nunc quare inimici noſtri ſuperabundauerunt, niſi quia vos corrumpitis vias veſtras, & feciſtis omnem conturbationem, & ideo collecti ſuper nos, frangent nos? Et dixerunt filii Rubeñ, & filii Gad, & dimidia tribus Manaſſe ad Ieſum, & ad omnem populum Iſrael: Ecce nunc Deus amputauit fructum ventris hominum, & poſuit lumen, vt quæ in tenebris ſunt videant, quoniam ipſe ſcit quæ in occultis ſunt abyſſi, & lumen cum eo permanet. Nunc ſcit Dominus Deus patrum noſtrorum, ſi aliquis de noſtris, aut nos ipſi fecimus rem iſtam in verbo iniquitatis, niſi pro poſteris noſtris, vt non ſeparetur cor eorum a Domino Deo noſtro, & ne dicant ad nos: Ecce nunc fratres noſtri, qui trans Iordanem ſunt, habent ſacrarium, vt offerant oblationem in eo, nos autem in iſto loco non habentes ſacrarium, recedamus a Domino Deo noſtro, quia prolongauit Deus noſter de viis noſtris, ne ſeruiamus ei. Et hæc dicentes diximus inter nos: Faciamus nobis ſacrarium, vt ſit eis animoſitas ad exquirendum Dominum. Etenim aliqui ex nobis aſtantes & ſcientes, quia fratres veſtri nos ſumus, & innoxii ſtamus ante conſpectum veſtrum. Facite itaque quæ placent in oculis domini. Et dixit Ieſus: Nonne fortior eſt rex Dominus ſuper millia ſacrificia? Et quare non docuiſtis filios veſtros verba Domini, quæ audiſtis ex nobis? Quia ſi erant filii veſtri in meditatione legis Domini, non ſeducerentur ſenſus eorum poſt ſacrarium manu factum. Aut non ſcitis quando viduato ad modicum populo in eremo, aſcendente Moſe vt acciperet tabulas, ſeductus eſt ſenſus eius, & fecit ſibi idola? Et ſi non miſericordia Dei patrum veſtrorum cuſtos fuiſſet, omnes ſynagogæ factæ eſſent in fabulã, & diuulgarentur omnia peccata populi propter inſipientiam veſtrã. Et ideo nunc euntes effodite ſacraria quæ ædificaſtis vobis, & docete legem filios veſtros, & erunt meditantes eam die ac nocte, vt fiat eis per omnes dies vitæ eorum dominus in teſtimonium & iudicem. Erit Deus teſtis & iudex inter me & vos, & inter cor meum & cor veſtrum: quia ſi in aſtutia feciſtis rem hanc, vindicabitur in vobis, propter quod voluiſtis diſperdere fratres veſtros. Si autem in ignorantia feciſtis, ſicut dicitis, propter filios veſtros miſericors erit vobis Deus. Et reſpondit omnis populus: Amen, Amen. Et obtulit pro eis Ieſus, & omnis populus Iſrael, mille arietes pro verbis excuſationis, & orauerunt pro eis, & dimiſit eos cum pace. & euntes deſtruxerunt ſacrarium, & ieiunauerũt, & plorauerunt ipſi & filij eorum, & orantes dixerunt: Deus patrum noſtrorum & præſcius cordis hominum omnium, tu ſcis quia non facta viæ noſtrę in iniquitate ante conſpectum tuum, ſed nec deuiauimus a viis tuis, ſed tibi ſeruiuimus omnes: quia

opera manuum tuarum ſumus. Nunc miſerere teſtamenti tui filiis ſeruorum tuorum. Et poſt hæc Ieſus aſcendit in Galgala, & leuauit tabernaculum Domini, & arcam teſtamenti, & omnia vaſa eius, & leuauit eam in Silo & demonſtrationem & veritatem poſuit ibi. Et tunc Eleazar ſacerdos miniſtrans altari, conuenientes omnes qui veniebant ex populo interrogantes Dominum per demonſtrationem inſtruebat eos, quoniam per hoc oſtendebatur eis. In ſacrario vero nouo, quod erat in Galgalis, conſtituit Ieſus vſque in hodiernum diem, quæ offerebantur a filiis Iſrael holocauſtomata per ſingulos annos: Quouſque enim ædificaretur domus domini Hieruſalem, & offerretur in nouo ſacrario, non prohibitus eſt populus offerre in eo: quia veritas & demonſtratio oſtendebat omnia in Silo. Et quouſque poneretur per Salomonem arca iu ſacrario domini, erant offerentes ibi vſque illam diem. Eleazar vero filius Naue diſpoſuit populum, & diuiſit eis terram, potens in virtute. Et cum adhuc inimici Iſrael eſſent ſuper terram, appropinquauerunt dies Ieſu vt moreretur: & miſit, & vocauit omnem Iſrael in omni terra eorum cum mulieribus & filiis, & dixit ad eos: Congregamini ante conſpectum arcæ, & teſtamenti domini in Silo, & diſponam vobis teſtamentum antequam moriar. Et congregatis omnibus populis decimoſexto die menſis tertij ante conſpectum Domini in Silo cum mulieribus & filiis, dixit Ieſus ad eos: Audi Iſrael: Ecce ego diſpono ad vos teſtamentum legis huius, quam diſpoſuit Dominus, patribus noſtris in Oreb, & ideo ſuſtinete hic iſta nocte, & videte quid loquatur ad me pro vobis Deus. Et expectantibus populis illa nocte, viſus eſt Dominus Ieſu in aromate, & dixit dicens: Secuudum ſermones hos loquar ego huic populo. Et ſurrexit Ieſus mane, & congregauit omnem populum, & dixit ad eos: Hæc dicit Dominus: Vna petra erat vnde effodi patrem veſtrum, & genuit vir ſcopuli illius duos viros quorum nomina ſunt Abraham & Nachor, & de dolatura loci illius natæ ſunt duæ mulieres: quarum nomina ſunt Sara & Melcha, & habitauerunt in vnum trans flumen, & accepit Abraham Saram, & Nachor Melcham. Et cum ſeducerentur habitantes terram, ſinguli quique poſt præſumptiones ſuas, credidit Abraham mihi, & non eſt ſeductus cum eis, & ego eum erui de flamma, & accepi eum & ſuperduxi eum in omnem terram Chanaam, & dixi ei in viſu dicens: Semini tuo dabo terram hanc. Et dixit ad me: Ecce nunc dediſti mihi mulierem, & hæc ſterilis eſt. & quo modo habebo de mea petra concluſa? Et dixi ad eum: Accipe mihi vitulum trimum, & capram triennem, & arietem trimum, turturem & columbam. Et accepit hæc ſicut præcepi ei. Ego autem immiſi in eum ſomnum, & pauorem circundedi ei, & ante eum locum ignis in quo expientur opera facientium iniqui-

iniquitatem in me, & faculas oſtendi ignis, vnde illuminabuntur iuſti, qui crediderunt mihi. Et dixi ad eum: Hæc erunt in teſtimonio inter & te, quoniam de concluſa dabo tibi ſemen. Et aſſimilabo te columbæ, quia accepiſti mihi ciuitatem, quam incipient ædificare filii tui in conſpectu meo. Turturem autem aſſimilabo Prophetis, qui de te naſcentur. Et arietem aſſimilabo ſapientibus, qui de te naſcentur, illuminantibus filios tuos. Vitulum vero aſſimilabo multitudini populorum, qui multiplicatus eſt per te. Capram aſſimilabo mulieribus, quarum aperiam metras, & parient. Hæc erunt in teſtimonium inter nos, quoniam non tranſgrediar verba mea. Et dedi ei Iſaac, & plaſmaui eum in metra eius quæ eum genuit, & præcepi ei vt citius reſtituens eum redderet mihi in menſe ſeptimo: & propterea omnis mulier quæ peperit ſeptimo menſe, viuit filius eius, quoniã ſuper eũ vocaui gloriam meam & nouum oſtendi ſeculum. Et dedi Iſaac Iacob & Eſau: & dedi Eſau terram Seir in hæreditatem: Iacob autem & filii eius deſcenderunt in Ægyptum. Et humiliauerunt Ægyptii patres veſtros, ſicut vos ſcitis, & memoratus fui patrum veſtrorum, & miſi Moſen amicum meum, & liberaui eos inde: inimicos autem illorum percuſſi, & eieci eos in manu excelſa, & deduxi eos per rubrum mare, & ſubſtraui ſubpedibus eorum nubem, & eduxi eos per abyſſum, & adduxi eos ſub montem Sina, & inclinaui cælos, & deſcendi, & ſolidaui flammam ignis, & obturaui venas abyſſi, & impediui curſum ſtellarum & ceſſaui ſonos tonitruum, & extinxi plenitudinem venti, & increpaui multitudinem nubium, & ſtatui motus earum, & ſuſpendi tempeſtatem militiarum, vt non corrumperem teſtamentum meum, quoniam mouebantur in deſcenſu meo omnia, & animabantur vniuerſa in aduentu meo, & non permiſi diſſipari populum meum, ſed dedi ei legem meam, & illumiuaui eos, vt facientes hæc viuant, & longæui fiant, & non moriantur. Et induxi vos in terram iſtam, & dedi vobis vineas, ciuitates quas non ædificaſtis habitatis, & compleui teſtamentum veſtrum quod dixi patribus veſtris. Et nunc ſi vos obaudieritis patres veſtros, apponam cor meum in vobis in ſempiternum, & obumbrabo vos, & non apponent inimici veſtri expugnare vos, & erit terra veſtra nominata in omnem orbem, & ſemen veſtrum electum in medio populorum dicentium: Ecce populus fidelis, quia crediderunt Domino, propterea liberauit eos Dominus, & plantauit eos. Et ideo plantabo vos tanquam vineam deſiderii, & regam vos tanquam gregem amabilem, & mandabo pluuiæ, & rori, & ſaturabunt vos in tempore vitæ veſtræ. Erit autem & in finem vniuſcuiuſque omnium veſtrum ſors in vita æterna, vobis & ſemini veſtro, & accipiam animas veſtras, & reponam eas in pace quouſque compleatur tempus ſeculi, & reddam vos patribus

veſtris, & patres veſtros vobis: & ſcient ipſi per vos, quoniam non in vano elegi vos. Hæc ſunt verba quæ locutus eſt Dominus ad me nocte hac. Et reſponderunt omnes populi, & dixerunt: Dominus eſt Deus noſter, & ipſi ſoli ſeruiemus. Et fecerũt epulationem omnes populi in illa die, & innouationem, diebus XXVIII. Et poſt dies illos adiecit Ieſus filius Naue congregare omnes populos, & dixit ad eos: Ecce nũc Dominus eſt teſtatus in vobis hodie: Teſtatus ſũ vobis cælum & terram: quoniam ſi ſuſtinetis ſeruire Domino: ſi autem non vultis ſeruire ei, et vultis obaudire diis Amorræorum, in quorum terra habitatis, dicite hodie in conſpectu Domini, et proficiſcimini. Ego autem et domus mea ſeruiemus Domino. Et leuauerunt omnes popul vocem ſuam, et plorantes dixerunt: Forſitan dignatus eſt Deus, et in timore eius melius eſt nobis mori, quam deleri de terra. Et benedixit Ieſus filius Naue populos, et oſculatus eſt eos, et dixit ad illos: Fiant verba veſtra in miſericordiam ante Dominum noſtrum, et mittat angelum ſuum et conſeruet vos. Memores eſtote mei poſt mortem meam, et Moſis amici Domini, et non recedant de vobis verba teſtamenti, quæ diſpoſuit ad vos per omnes dies. Et dimiſit eos, et profecti ſunt vnuſquiſque in hæreditatem ſuam. Ieſus autem repoſuit ſe in lectulo ſuo, et miſit et vocauit filium Eleazari ſacerdotis, et dixit ad eum: Ecce iam video oculis meis tranſgreſſionem populi huius, in quo incipient præuaricari: tu tamen virtutifica manus tuas, in quo tempore es cum eis. Et oſculatus eſt eum et patrem eius, et filios eius, et benedixit eum, et dixit: Dominus Deus patrum veſtrorum dirigat vias veſtras, et populi huius. Et vt deſiit loqui ad eos, complicuit pedes ſuos in lectum, et obdormiuit cum patribus ſuis. Et poſuerunt filii eius manus ſuas ſuper oculos illius. Et tunc omnis Iſrael congregati ſunt in vnum, vt ſepelirent eum, et planxerunt eum planctu magno, et hæc dicebant in planctu ſuo: Plangite ſuper pennam aquilæ huius leuis, quoniam euolauit a nobis, et plangite ſuper virtutem catuli leonis, quoniam abſconſus eſt a nobis. Et quis iens renuntiet iuſto Moſi, quoniam habuimus quadraginta annis ducem ſimilem ei? Et compleuerunt planctum ſuum, et ſepelierunt eum manibus ſuis in monte Effraim, et reuerſi ſunt vnuſquiſque in tabernaculum ſuum. Et poſt mortem Ieſu requieuit terra Iſrael. Et quærebant allophyli pugnare cum filiis Iſrael. Et illi interrogantes Dominum dixerunt: Si aſcendimus et pugnamus contra allophylos? Dixit eis Deus: Si corde puro aſcenditis, pugnate: ſi autem contaminatum eſt cor veſtrum, non aſcendatis. et adiecerunt interrogare, dicentes: Quomodo ſciemus, ſi omne cor populi æquale ſit? Et dixit eis Deus: Mittite ſortes in tribus veſtras, et erit omni tribu qui venerit in ſortem, ſeparetur in vnam ſortem, et tunc ſcietis cuius cor purum eſt, et cuius contaminatũ ſit. & dixit populus:

populus:conſtituamus prius in nobis ducem, & ſic ſortem mittamus.& dixit eis angelus Domini:Præponite.& dixit populus: quem præponemus, qui dignus ſit, Domine? Et dixit eis angelus Domini: Mittite ſortem in tribu Caleb, et qui oſtenſus fuerit in ſorte,ipſe vobis principabitur. Et miſerunt ſortem in tribum Caleb,et exiuit ſors ad Cenez.Et conſtituerunt eum principem in Iſrael Et dixit Cenez populo: Adducite mihi tribus veſtras, & audite verbum Domini. Et collecti ſunt populi. Et dixit ad eos Cenez : Scitis quanta vobis mandauit Moſes amicus Domini, vt non transgrediamini legem in dextram vel in ſiniſtram ? Sed & Ieſus qui poſt eum fuit princeps, eaſdem vobis mandauit. Et nunc ecce audiuimus de ore Domini, quoniam cor veſtrum contaminatum eſt, & præcepit nobis Dominus,vt mittamus ſortem in tribus veſtras, vt ſciamus cuius cor receſſit a Domino Deo noſtro. Nonne adducetur in populum indignatio iracundiæ?Prædico autem vobis hodie, quoniam & ſi de domo mea aliquis exierit in ſortem peccati, non ſaluabitur ſed igne concremabitur.Et dixit populus : Bonum verbum dixiſti facere. Et adduxit tribus in conſpectu eius, & inuenti ſunt de tribu Iuda CCCXL. & V. viri. De tribu autem Ruben DLX. Nam de tribu Simeon DCCLXXV. Et de tribu Leui CL. Et de tribu Iſachar DCLX. & V. De tribu Zabulon DXL. & V.Et de tribu Gad CCCLXXX.Et de tribu Aſſer DCLXV. Et de tribu Manaſſe CCCCLXXX. Et de tribu Effraim CCCCXL.& VIII. Et de tribu Beniamin CCLX. & VII. Et factus eſt omnis numerus eorum,qui inuenti ſunt ſorte peccati VIM.CX. Et duxit eos omnes Cenez, & incluſit eos in carcere, quouſque ſciretur quid fieret de eis: Et dixit Cenez: Nonne de iſtis dixit Moſes amicus Domini,dicens:Fortis eſt in vobis radix,germinans fel, & amaritudinem? Et nunc benedictus Dominus,qui reuelauit omnes voluntates hominum iſtorum,nec patiebatur corrumpere populum in nequiſſimis operibus ſuis. Congregate ergo huc demonſtrationem & veritatem, & Eleazarum Sacerdotem prouocate, & interrogemus per eum Dominum.Et tunc Cenez & Eleazar, & omnes ſeniores, & omnis ſynagoga vnanimes orauerunt,dicentes:Domine Deus patrum noſtrorum,reuela ſeruis tuis veritatem,quoniam inuenimur non credentes prodigiis quę feciſti patribus noſtris, ex quo eieciſti eos de terra Ægypti vſque in hodiernum diem. Et reſpondit Dominus,& dixit:Primum interrogate eos qui inuenti ſunt,& confiteantur opera ſua quæ aſtute agebant, & poſtea igne concremabuntur. Et adduxit eos Cenez, & dixit ad illos:Ecce nunc ſcitis quomodo confeſſus eſt Achiar, quando exiuit in ſortem, & renuntiauit omnia quæ fecit: & nunc renuntiate nobis nequitias veſtras,& adinuentiones.Et quis ſcit quoniam ſi dixeritis veritatem nobis, & ſi modo moriamini, miſe-

rebitur tamen vobis Deus, cum viuificabit mortuos. Et dixit ei quidam eorum Elas nomine: Nunquid non iam aderit nobis mors, vt moriamur in igne? Dico autem tibi domine meus, non ſunt ſimiles vllæ adinuentiones, quas nequiter gerimus. Si autem volueris manifeſte veritatem interrogare, ſingulariter interroga viros, vniuſcuiuſque tribus, & ſic ſciet aliquis ex aſtantibus differentias peccatorum ipſorum. Et interrogauit Cenez eos qui erant de tribu ſua, & dixerunt ad eum: Nos voluimus imitari et facere vitulum, quem fecerant in eremo. Et poſt hæc interrogauit viros de tribu Rubē & dixerūt: nos voluimus immolare diis habitātium terrā. & interrogauit viros de tribu Leui, et dixerunt: Nos voluimus probare tabernaculū ſi ſanctum eſſet. Et interrogauit derelictos de tribu Iſachar, et dixerūt: Nos voluimus interrogare per dęmones idolorum, ſi manifeſte annuntiarent. Et interrogauit viros de tribu Zabulon, et dixerunt: Nos voluimus manducare carnes filiorū noſtrorū, et ſcire ſi curā de iiſdē habet Deus. Interrogauit derelictos de tribu Dan, et dixerunt: Nos docuerant Amorræi quæ ipſi agebant, vt doceremus filios noſtros. Et ecce hæc abſconſa ſunt ſub tabernaculo Elas, qui tibi dixit, vt interrogares nos. Mitte ergo, et inuenies ea. Et miſit Cenez, et inuenit ea. Et poſt interrogauit eos, qui ſuperera nt de tribu Gad, et illi dixerunt: Nos mœchati ſumus alterutrū in mulieres noſtras. Et deinceps interrogauit viros de tribu Aſer, qui dixerūt: Nos inuenimus ſeptem ſimulacra aurea, quæ vocabāt Amorræi ſanctas Nymphas, et auferentes eas cum pretioſiſſimis lapidibus, qui ſuperpoſiti erant eis, abſcondimus illa. Et ecce nūc depoſita ſunt ſub cacumē mōtis Sychē. Mitte ergo et inuenies ea. Et miſit Cenez viros, et ſuſtulerūt ea inde. Hæ ſunt Nymphæ, quæ inuocatæ oſtendebant Amorræis per ſingulas horas opera eorū. Hæ ſunt enim, quæ adinuenerunt ſeptē viri peccatores poſt diluuiū, quorum nomina hæc ſunt, Chanam, Phuth, Selath, Nebroth, Elath, Deſuat. Nec erit iā talis ſimilitudo in ſeculo ſculptá manu artificis, vel picturæ diſtincta varietate. Erant autē confixa et cōfirmata in conſecrationē idolorum. Lapides illi pretioſi erant allati de terra Euilat. In quibus cryſtallinus erat, et praſinus, & velut in diatriū ſculpti modū oſtendebant. Et alius ex his ſculptus erat deſuper, alius velut chryſopaſſus ſtigmatus ita relucebat ſculptura vt ſubiacentis profundi oſtētaret liquorem. Et ij ſunt lapides pretioſi quos habebant Amorræi in ſanctis ſuis. Quorum pretium ideo ineſtimabile erat, quoniam per noctē ingredientibus his, nō erat neceſſarium lumen lucernæ, ita explēdebat genuinū lapidū lumen. Inter quos tamen plus lucebat ille, qui in modū diatridis ſculptus de ſetis emundabatur. Nam etſi quis de Amorræis cæcus erat, ibat et ponebat oculos ſuos ſuper eum, et recuperabat lumen. Quos inueniens Cenez ſequeſtrans depoſuit eos, donec ſciret quid

de eis

de eis fieret. Et poſt hæc interrogauit reliquos de tribu Manaſſe, et illi dixerunt: Nos tantummodo contaminauimus ſabbata Domini. Et interrogauit derelictos de tribu Effraim qui dixerunt: Nos voluimus traiicere filios et filias noſtras per ignem, vt ſciremus ſi manifeſta eſſent quæ dicta fuerãt. Et interrogauit derelictos de tribu Beniamin, et dixerunt: Nos voluimus in hoc tempore librum legis perſcrutari, vtrum manifeſte Deus ſcripſiſſet quæ erant in eo, aut Moſes docuiſſet ea per ſe. Et accipiens omnia verba hæc Cenez cum ſcripſiſſet ea in libro, et legiſſet ante conſpectum Domini, dixit ad eum Deus: Accipe viros, et ea quæ inuenta ſunt apud eos, et omnia eorum, et pone in torrentem Phiſon, et combures ea igni, vt pauſet ira mea ab eis. Et dixit Cenez: Nunquid et lapides hos pretioſos comburemus igni, aut ſanctificamus eos tibi, quoniam non ſunt in nobis ſimiles his? Et dixit ad eum Deus: Si Deus aliquid accipit in nomine ſuo de anathemate, quid faciat homo? Et ideo nunc accipies lapides iſtos pretioſos, et omnia quæ inuenta ſunt in libro: et cum homines ſic diſponas, lapides ponas in vnam partem cum libris, quoniam non poterit ignis exurere eos. Et poſt oſtendam tibi quomodo eos perdas: Nam homines et omnia quæ inuenta ſunt concremabis igni. Et congregatis omnibus populis dices ad eos: Sic fiet omni viro, cuius declinauerit cor a Deo ſuo. Et poſtquam concremauerit ignis homines iſtos, tunc libros & lapides pretioſos, qui non poſſunt igni comburi, neque incidi ferro, neque aqua deleri, pones eos in vertice montis iuxta nouum ſacrarium, & ego præcipiam nubi, & iens accipiet eos, & mittet ſuper libros, & delebit ea quæ ſcripta ſunt in his, quoniam non deleantur ex alia aqua, niſi ex ea quæ non ſeruit vnquam hominibus. Et poſt eam mittã corruſcũ meum & comburet libros ipſos. De lapidibus vero pretioſis præcipiam angelo meo & accipiet illos, & iens ponet illos in profundum maris, & mandabo profundo, & abſorbet eos, quoniam non poterunt permanere in ſeculo, eo quod contaminati ſunt ab idolis Amorræorum. Et alij angelo præcipiam, & accipiet mihi duodecim lapides ex eo loco vnde ablati ſunt iſti ſeptem: quos tu cum inueneris ſuper verticem montis, vbi eos poſiturus es, accipiens pones eos ſuper epomidem contra duodecim lapides, quos in eremo poſuit Moſes, in logio ſanctificabis eos ſecundum duodecim tribus. Et ne dicas quomodo ſciam quem lapidem in qua tribu ponam? Ecce ego tibi dicam nomen tribus ſecundum nomen lapidis, & inuenies vtraque ſculpta. Et iens Cenez accepit omnia quæ inuenta fuerant, & homines ſimul cum his: & recongregauit ad ſe omnes populos, & dixit ad eos: Ecce vos vidiſtis omnia mirabilia, quæ oſtendit nobis Deus, vſque in hodiernum diem. & ecce exquirentibus nobis vniuerſos, qui verſute excogitabant mala contra Dominum, & contra Iſrael

manifeſtauit eos nobis Deus ſecundum opera eorum. Et nunc maledictus homo quicunque tale adinuenerit facere inter vos fratres. Et reſpondit omnis populus, Amen, Amen. Et his dictis concremauit omnes homines illos igne, & omnia quæ inuenta ſunt cum eis, præter lapides pretioſos. Et poſt hæc volens Cenez experiri ſi comburerentur lapides igni, miſit eos in ignem. Et factum eſt mox vt cadebant in ignem, extinguebatur ignis. Et accipiens Cenez ferrum vt frangerentur; & cum tetigiſſet eos gladius, ſoluebatur ferrum eius. Et poſt hęc volens vel libros delere per aquam, factum eſt vt decidens ſuper eos aqua ſtringeretur in ſe. Et videns hæc dixit Cenez: Benedictus Deus, qui fecit tantas virtutes in filios hominum: & fecit protoplaſtum Adam, & oſtendit ei omnia, vt cum peccaſſet in ipſis Adam, tunc hæc vniuerſa adnegaret, ne oſtendens hæc generi hominum, dominarentur eis. Et his dictis accepit libros & lapides, & poſuit eos ſuper verticem montis, iuxta ſacrarium nouum, ſicut præcepit ei Dominus. Et accipiens ſacrificium pacificorum, holocauſtomata obtulit in ſacrario nouo duo millia holocauſtorum, vniuerſa ſuperponens ea in holocauſtum. In illa die epulati ſunt epulationem magnam, ipſe & omnis populus in vnum. Et fecit Deus eadem nocte, ſicuti dixit Cenez. præcepit nubi, & iens accepit ros de glacie paradiſi, & effundens illum ſuper libros, deleuit eos. & poſt hæc venit angelus, & combuſſit eos. Alius autem angelus accepit lapides pretioſos, & proiecit eos in cor maris, & præcepit profundo maris, & abſorbuit illos. Et alius angelus iens attulit duodecim lapides, & poſuit eos iuxta locum illum vnde tulerat illos ſeptem. Et exculpſit in his nomina tribuum. Et ſurgens Cenez in craſtinum, inuenit lapides illos duodecim ſuper verticem montis, vbi ipſe poſuerat illos ſeptem. Et ſculptura eorum erat talis, vt tanquam oculorum forma deſignaretur in eis. Et primus lapis in quo ſcriptum erat nomen tribus Ruben, conſimilabatur lapidi Sardino. Secundus autem lapis ſculptus erat de dente, & ibi exculpto nomiue tribus Simeonis, ſimilitudo Topazanis videbatur in eo. Et in tertio lapide ſculptum erat nomen tribus Leui qui Smaragdino lapidi erat ſimilis. Nam quartus lapis Cryſtallus nominabatur, in quo ſculptum erat nomen tribus Iudæ, & lapidi Carbunculo ſimilabatur. Quintus vero lapis erat Praſinus, & ſuper ipſum ſculptum erat tribus Iſachar, & lapidis Sapphiri color erat in eo. Et ſexti vero lapidis ſculptura erat tanquam Chryſopraſſus eſſet, diuerſis diſtinctionibus ſtigmatus, & ibi erat ſcripta tribus Zabulon, & lapis Iaſpis aſſimilabatur ei. Nam ſeptimi lapidis reſplendens ſculptura, oſtendebat in ſe velut infuſum liquorem profundi, & ibi ſcriptum erat nomen tribus Dan, qui lapis aſſimilabatur lapidi Ligirio. Octauus lapis ſculptus erat de Adamante, & ibi ſcriptum erat nomen tribus Neptalim, & Amethyſto

methyſto lapidi aſſimilabatur. Et noni lapidis ſculptura erat terebrata ex monte Ophir, & ibi ſcripta tribus Gad, & lapis Achates aſſimilabatur ei. Et lapidis decimi ſculptura excauata erat, & expreſſit ſimilitudinem lapidis Themam, & ibi erat ſcripta tribus Aſer, & lapis Chryſolithus aſſimilabatur ei. Et vndecimus lapis electus de Libano. & ibi ſcriptum erat nomen tribus Ioſeph, & lapis Beryllus ſimilabatur ei. Et lapis duodecimus exciſus de exciſione, & ſuper ipſum ſcripta erat tribus Beniamin, & lapis Onychinus ſimilabatur ei. Et dixit Deus ad Cenez: Accipe lapides iſtos, & pone eos in arca teſtamenti Domini cum tabulis teſtamenti, quas dedi Moſi in Oreb, & erunt ibi cum his, donec exurgat Iahel, qui ædificet domum in nomine meo, & tunc ea proponet ante me ſupra duo Cherubin, & erunt in conſpectu meo in memoriam domus Iſrael. Et erit cum impleta fuerint peccata populi mei, & cœperint inimici potentari domui ipſorum, accipiam lapides iſtos, & illos priores vna cum tabulis: et reponam ea in locum vnde ab initio prolata ſunt, & erunt ibi quouſque memor ſim ſeculi, & viſitabo habitantes terram: & tunc accipiam & iſtos, & alios plures valde meliores, ex eo quod oculus nõ vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis non aſcendit quouſque tale aliquid fieret in ſeculum, & non indigent iuſti opera luminis ſolis, neque ſplendore lunæ, quoniam pretioſiſſimorum lapidum lumen erit lumen eorum. Et ſurrexit Cenez, & dixit: Ecce quantum bonum fecit Deus hominibus, & propter peccata eorum ab his omnibus defraudati ſunt. Et nunc ſcio hodie quoniam genus hominum eſt, & vita eorum in nihilo deputabitur. Et his dictis accepit lapides de loco vbi erant poſiti, & cum tolleret eos, velut lumen ſolis diffuſum ſuper illos, ſplendebat terra de lumine eorum. Et poſuit eos Cenez in arca teſtamenti Domini cum tabulis ſicut præceptum fuerat ei, & ſunt vſque in hodiernum diem. Et poſt hæc armauit de populo tria millia virorum, & aſcendit expugnare Amorræos, & percuſſit prima die octingenta millia virorum. Et ſecunda die interemit quingenta millia. Et facta die tertia, male locuti ſunt viri plebis aduerſus Cenez dicentes: Ecce nunc ſolus Cenez operatus eſt cum muliere ſua, & concubinis ſuis in domo ſua, & nos mittet in pugnam, vt in cõſpectu inimicorum noſtrorum conteramur. Et audientes hæc pueri Cenez, renuntiauerunt ei. Et præcepit quinquagenario, & adduxit ex his viros triginta & ſeptem, qui fuerunt detractores eius, & incluſit eos in carcerem. Quorum nomina hæc ſunt: Leetuz, Betul, Aephal, Dealma, Anaph, Deſac, Beſac, Getel, Anael, Anazim, Noac, Cehechoac, Obal, Iabat, Enath, Beath, Zelut, Effor, Ecent, Dephap, Abidam, Eſar, Moab, Duzal, Azat, Phelac, Igat, Zephal, Eliezor, Ecar, Zebat, Sebet, Neſach, Cere. Et cum incluſiſſet eos quinquagenarius ſecundũ pręceptũ Cenez, dixit Cenez: Quan-

do fecerit ſalutem Dominus populo ſuo in manibus meis, tunc puniam viros iſtos. Et his dictis iuſſit Cenez quinquagenario dicens: Vade, & elige de pueris meis trecentos viros, & equos tanto numero, & nullus ſciat de populo horam in qua exiturus ſum ad pugnam, tantum in qua hora tibi dixero, præpara viros, vt ſint parati in nocte. Et miſit Cenez nuncios ſpeculatores, vt viderent vbi eſſet multitudo caſtrorum Amorræorum. Et venerunt nuntij, & ſpeculantes viderunt quia multitudo de caſtris Amorræorum in rupibus conuerſabantur, cogitantes & hæc, vt venientes pugnarent aduerſus Iſrael. Et reuerſi ſunt nũtij, & renuntiauerunt ei iuxta verbum hoc. Et ſurrexit Cenez ipſe, & trecenti equites cum eo noctu, & accipiens pſalpingas in manu ſua, cœpit deſcendere cum trecentis viris. Et factum eſt, cum appropiaſſet caſtris Amorræorum, dixit pueris ſuis: Hic ſtate, ego autem ſolus deſcendam, vt videam caſtra Amorræorum. Et erit vt pſalpingauero deſcendatis: ſin autem non, ibi expectabitis me. Et deſcendit Cenez ſolus, & orauit antequam deſcenderet, & dixit: Domine deus patrum noſtrorum, tu oſtendiſti ſeruo tuo mirabilia, quæ præparaſti facere in teſtamẽto tuo in nouiſſimis diebus, & nunc vnum de mirabilibus tuis mitte ſeruo tuo, & expugnabo inimicos tuos, vt ſciant ipſi, & omnes gentes, & populus tuus, quoniam non in multitudine militiæ, neque in virtute equitum liberat Dominus, ſi cognouerint ſignum ſalutis, quod facies mecum hodie. Ecce ego euaginabo rhomphæam meam de theca ſua, & refulgebit in caſtris Amorræorum, & erit ſi cognouerint Amorræi quia ego ſum Cenez, ſcio quoniam tradidiſti eos in manus meas. Si autem non me cognouerint, & putauerint alium eſſe, ſcio quoniam non exaudiſti me, ſed tradidiſti inimicis meis. Nam et ſi traditus trador morti, ſcio quod propter delicta mea non exaudiuit me dominus, & tradidit me inimicis meis. Non autem perdet hæreditatem ſuam in morte mea. Et profectus eſt poſteaquam orauit, & audiuit multitudinem Amorræorum dicentium: Surgentes expugnemus Iſrael: Scimus enim quoniam ſanctæ noſtræ Nymphæ ibi ſunt cum eis, & tradent eos in manus noſtras. Et ſurrexit Cenez, induit eum ſpiritus Domini, & euaginauit rhomphæam ſuam. Et vti refulſit Amorræis ſplendor eius, ſicut corruſcus acutus, videntes dixerunt: Nonne hæc eſt rhomphæa Cenez, quæ multiplicauit vulneratos noſtros? Et directum eſt verbum quod locuti ſumus, dicentes: Quoniam tradiderunt eos ſanctæ Nymphæ in manus noſtras. Et ecce nunc in hodiernum diem epulatio Amorræis, cum traditus fuerit nobis inimicus noſter. Nunc ergo ſurgite: & vnuſquiſque præcingat ſe rhomphæa ſua, & incipite pugnare. & factum eſt vt audiuit Cenez verba eorum indutus ſpiritu virtutis, & tranſmutatus in virum alium, deſcendit in caſtra Amorræorum, & cœpit percutere eos,

re eos. Dominus autem miſit ante faciem eius angelum in Gethel, ſuperpoſitum occultis, & operantem inuiſibiliter, angelum virtutis cooperantem eum: & percuſſit in Gethel cæcitate Amorræos, ita vt videns vnuſquiſque proximum ſuum, æſtimarent aduerſarios ſuos eſſe, & interficerent ſe alterutrum. Et Zeruel qui præerat virtuti ſuſtinebat brachia Cenez, ne conſiderarent eum: & percuſſit Cenez de Amorræis quadragintaquinque millia virorum. Ipſi autem percutientes ſe alterutrum, ceciderunt quadragintaquinque millia virorum. Et dum interfeciſſet Cenez multitudinem magnam, voluit diſſoluere manum ſuam de rhomphæa, quoniam indiſſolubiliter aſtrictum fuerat manubrium rhomphææ, & aſſumpſerat dextera eius virtutem gladii. Et tunc qui derelicti fuerant de Amorræis, fugerũt in montana. Cenez autem quęrens quemadmodum reſolueret manum ſuam, & reſpiciens oculis ſuis vidit virum Amorræorum fugientem, & comprehendit eum, & dixit ad illum: Scio quia Amorræi periti ſunt, & nunc demonſtra mihi, quomodo diſſoluam manum meam de gladio iſto, & dimittam te. Et dixit Amorræus: Vade, & accipe virum de Hebræis, & interfice eum, & calente adhuc ſanguine eius ſuppone manum tuam, excipiens ſanguinem eius, exoluetur manus tua. Et dixit Cenez, Viuit dominus, quia ſi dixiſſes, accipe virum de Amorræis, accepiſſem vnum ex his, & te ſaluaſſem, ſed quoniam dixiſti, de Hebræis, vt odium tuum oſtenderes, os tuum erit ſuper te, & ſecundum quod locutus es, ego faciam tibi. Et his dictis, interfecit eum Cenez. Et dum caleret adhuc ſanguis eius, ſupponens excepit eum in manum ſuam, & abſoluta eſt. Et abiit Cenez, & exuit veſtimenta ſua, & mittens ſe in flumen, & lauit ſe, & iterum aſcendens mutauit veſtimenta ſua, & reuerſus eſt ad pueros ſuos. Dominus autem immiſit in eos ſomnum grauem in nocte, & dormierunt, & non cognouerunt ex omnibus quæ egerat Cenez. Et venit Cenez excitauit eos de ſomno, & intuentes illum oculis ſuis viderunt. & ecce campus plenus erat corporibus, & ſtupentes mente intuebantur ſinguli quique proximum ſuum. Et dixit ad eos Cenez, Quid miramini? Nũquid ſicut viæ hominum viæ domini ſunt? Nam in hominibus multitudo valet, in Deo autem quod conſtituerit. Et ideo ſi Deus voluerit ſalutem facere populo huic per manus meas, quid miramini? Exurgentes ſurgite, & ſinguli quique accingimini rhomphæis veſtris, & ibimus in domum ad fratres noſtros. Et vt audiuit omnis Iſrael ſalutem factam per manus Cenez, exierunt vniuerſi populi vnanimes obuiam ei, & dixerunt: Benedictus eſt Dominus, qui te conſtituit ducem in populo ſuo, & oſtendit quia fidelia erant, quæ ibi locutus fuerat, & quæ nos audiebamus per verbum, nunc viſu videmus, apparente opere ſermonis Dei. Et dixit ad eos Cenez: Interrogate fratres veſtros, & refe-

rant vobis quantum laborauerunt mecum in pugna. Et dixerũ viri illi qui fuerunt cum eo: Viuit dominus, quoniam nos non pugnauimus, ſed nec ſciebamus, niſi tantum cum expergefacti ſumus, vidimus cāpũ plenũ corporibus. Et reſpondit populus: Nunc ſcimusquoniã conſtituerit Dominus facere ſalutẽ populo ſuo. Nõ indiget multitudine, ſed ſanctificatione. Et dixit Cenez quinquagenario, qui incluſerat viros illos in carcerẽ: Produc huc viros iſtos, & audiemus verba eorũ. Et cũ produxiſſet eos, dixit ad illos Cenez: Dicite mihi quid videntes de me murmurabatis in populo? Qui dixerunt: Quod nos interrogas? quid nos interrogas? Nunc ergo præcipe igni nos cõburi, quia nõ pro hoc peccato quod nos locuti ſumus moriemur, ſed in illo priori de quo cõprehẽſi ſumus. Cõfeſſi ſunt viri, qui arſerũt in peccatis ſuis, quia nos tũc cõſenſimus peccatis eorum, dicentes: Fortaſſe populus non cognoſcet nos. & nunc fugimus populũ, ſed recte trãſducti ſumus in peccatis noſtris, vt inciderimus in detractionẽ tuá. Et dixit Cenez: Si ergo ipſi aduerſus vos teſtificamini, in quo vobis miſerebor? Iuſſit Cenez comburi eos igni, & miſit cineres eorũ vbi vſſerant multitudinẽ peccantium in torrentem Phiſon. Et principatus eſt Cenez populo quinquaginta & ſeptem annos, & timor erat ſuper omnes inimicos eius omnibus diebus ſuis. Et dum appropinquaſſent dies Cenez vt moreretur, miſit & vocauit omnes, & Iabis & Phinees duos prophetas, & filium Eleazari ſacerdotis, & dixit ad eos: Ecce nunc oſtendit mihi Dominus omnia mirabilia ſua, quæ præparauit facere populo ſuo in nouiſſimis diebus, Et nunc ego diſponã teſtamentũ meum vobiſcum hodie, vt non derelinquatis Dominum Deum veſtrũ poſt diſceſſum meum. Vos enim vidiſtis omnia mirabilia in eos qui peccauerunt, & quanta retulerint ipſi confitentes ſponte peccata ſua, aut quomodo conſumauerit eos Dominus Deus noſter, pro quo tranſgreſſi fuerant teſtamentum eius. Propter quod nunc parcentes domeſticis & filiis veſtris, permanete in itineribus Domini Dei veſtri, ne perdat Dominus hæreditatem ſuam. Et dixit Phinees filius Eleazari ſacerdotis: Si præcipit Cenez dux, & prophetæ, & populus, & ſeniores, dicam verbum quod audiui de patre meo cũ moreretur, & non tacebo de mandato quod mandauit mihi dum acciperetur anima eius. Et dixerunt Cenez dux, & prophetæ: Dicito Phinees: Nunquid aliquis loquitur prior ſacerdote, qui cuſtodit mandata Domini Dei noſtri, præſertim cum exeat de ore eius veritas, & de corde eius lumen refulgens? Et tunc dixit Phinees: Pater meus dum moreretur mandauit mihi, dicens: Hæc dices filiis Iſrael: Congregatis vobis in congregationem, Dominus apparuit mihi ante triduum in ſomnis noctu, & dixit ad me: Ecce tu vidiſti, ſed pater tuus ante te, quantum laborauerim populo meo. Erit autem poſt obitum veſtrum, exurget populus hic & corrumpet

vias

vias ſuas, recedens a mandatis meis, & indignatus iraſcar eis: ſed memor ero temporis eius quod fuit ante ſecula in tempore quo non erat homo, & iniquitas non erat in eo, cum dixi vt fieret ſeculum, & laudarent me qui venturi erant in eo, & plantabo vineam grandem, & de ea eligam plantationem, & diſponam eam, & nominabo eam nomine meo; & erit mea ſemper, cum ego fecerim omnia quæ dixi. Tamen plantatio mea quæ a me nominata eſt, non agnoſcet me plantatorem ſuum, ſed corrumpet fructum ſuum, & non reportabit mihi fructum eius. Hæc ſunt quæ mandauit mihi pater meus, vt dicerem populo huic. Et leuauit Cenez vocem ſuam, & ſeniores, & omnis populus vnanimiter plorantes planctum magnum vſque ad veſperam, & dixerunt: Nũquid in vano perdet paſtor gregem ſuum, niſi peccauerit ei? Et non ipſe eſt qui parcat iuxta abundantiam miſericordiæ ſuæ, quoniam ipſe plus laborauit in nobis? Et dum ſederent, inſiluit ſpiritus ſanctus, habitans in Cenez, & extulit ſenſum eius, & cœpit prophetare, dicens: Ecce nunc video quæ non ſperabam, & conſidero quæ non cognoſcebam. Audite nunc, qui habitatis ſuper terram. Sicut commorantes in ea prophetauerunt ante me videntes horam hanc, priuſquam corrumperetur terra, vt cognoſcatis prædeſtinatas prophetationes omnes vos qui habitatis in ea. Ecce nunc video flammas non ardentes, & audio venas expergefactas de ſomno, quibus non eſt fundamentum, neque faſtigia montium, nec ſuſpenſorium fundamenti conſidero, ſed omnia inapparentia, & inuiſibilia quibus locus non eſt in totum: & cum oculus meus non ſciat quid videat, cor meum adinueniet quæ dicat. De flamma autem quam video, non ardentem vidi, & ecce ſcintilla aſcendit, & quaſi ſubſtrauit ſibi ſub diuum, & erat ſimilitudo ſubſtrati eius tanquam aranea ordiens in modum ſcuti. Et dum factum eſſet fundamentum, vidi de vena illa excitabatur quaſi ſpuma ebulliens. & ecce dum mutauit ſe tanquam in aliud fundamentum, inter medium autem fundamentum ſuperioris & inferioris de lumine inuiſibilis loci, aduenerunt quaſi imagines hominum, & perambulabant, & ecce vox dicens: Hæc pro fundamẽto erunt hominibus, & habitantibus in eis annis VII. Et fundamentum inferius ſubſtratum erat, ſuperius autem deſpumauerat, & qui proceſſerunt de luce inuiſibilis loci, hii erunt qui habitabunt * & nomen hominis illius * . Et erit cum peccauerit mihi, & completum fuerit tempus, extinguetur ſcintilla, & pauſabit vena, & ſic mutabuntur. Et factum eſt cum locutus fuiſſet Cenez verba hęc, expergefactus eſt, & reuerſus eſt ſenſus eius in eũ. Ipſe autẽ neſciebat quæ locutus fuerat, neq; quæ viderat. Hoc autẽ ſolũ dixit populo: Si ſic eſt requies iuſtorũ, poſtea quam defuncti fuerint, oportet eos mori corruptibili ſeculo, vt non videant peccata. Et cum hæc dixiſſet Cenez, defunctus

eſt, & dormiuit cum patribus ſuis. Et planxit eum populus triginta diebus. Et poſtea conſtituit ſuper ſe populus ducem Zebul, qui in illo tempore congregauit populos, & dixit ad eos: ſcimus omnem laborem quem laborauit nobiſcum Cenez in diebus vitæ ſuæ, & nunc ſi filios habuiſſet, ipſi debuerant principari populo: & quia filiæ ſuperſunt, accipiant partem ampliorem in populo, quoniam pater earum in vita ſua contempſit dare eis, ne audiretur auarus & cupidus. Et dixit populus: Facito omnia quæ ſunt placita ante oculos tuos. Cenez autem erant tres filiæ, quarum nomina hæc ſunt: primogenita Ethema, ſecunda Pheila, tertia Zelpha. Et dedit Zebul primogenitę omnia quæ in gyro erant terrę Phœnicum, & ſecundæ dedit oliuetum Accaron, tertiæ autem dedit quæ circa Accaron erant cultiua. Et viros eis dedit, id eſt, primogenitæ Eliſephan, ſecundæ Odihel, tertiæ autem Doel. In diebus vero illis conſtituens Zebul theſaurum Domino, & dixit populo: Ecce ſi quis voluerit ſanctificare Domino aurum, & argentum, afferat in theſaurum Domini in Silo; præterea ne aliquis habens de idolis rem, velit ſanctificare theſauris Domini, quoniam non vult Dominus abominamenta anathematum, ne conturbetis ſynagogam Domini: ſufficit enim tranſacta iracundia. Et tulerunt omnes populi quod ſuggeſſit cor eorum, a viris vſque ad fœminas, aurum & argentum. Et omne quod allatum eſt ponderatum, auri talenta XX, & argenti talenta CCL. Et iudicauit Zebul populum annis XX. & V. Et vt compleuit tempus ſuum, miſit & conuocauit omnes populos, & dixit: Ecce nunc ego proficiſcor mori, videte teſtimonia quæ teſtati ſunt præceſſores noſtri, & non ſit cor veſtrum ſimile fluctibus maris. Sed ſicut fluctus maris non intelligit, niſi ea tantum quæ ſunt in mari, ſic & cor veſtrum nihil aliud cogitet, niſi ea tantum quæ ſunt legis. Et obdormiuit Zebul cum patribus ſuis, & ſepultus eſt in ſepulchro patris ſui. Tunc filii Iſrael non habuerunt quem conſtituerent ſibi iudicem. & declinauit cor eorum, & obliti ſunt ſponſionem, & tranſgreſſi ſunt vias quas mandauerat eis Moſes, & Ieſus, miniſtri Domini, & ſeducti ſunt poſt filias Amorræorum, & ſeruierunt diis eorum. Et iratus eſt eis Dominus, & miſit angelum ſuum, & dixit: Ecce vnum populum elegeram ex omni tribu terræ, & dixit vt permaneret gloria mea in hoc ſeculo cum eo, & miſi eis Moſen famulum meum, qui mandaret ſuper excellentiam meam & iuſtitias, & tranſgreſſus eſt vias meas. Et nunc ecce ego ſuſcitabo inimicos eius, & dominabuntur ei: Et tunc dicent omnes populi, Propter quod tranſgreſſi ſumus vias Dei, & patrum noſtrorum, propter hoc venerũt nobis hæc. & principabatur eis mulier, quæ illuminauit eos XL. annis. Et poſt hæc ſuſcitauit eis Dominus Iabel regem Aſor, & cœpit expugnare eos, & habebat Syſara principem virtutis ſuæ,

cui

cui erant VIII. currus ferrei, & venit in montem Effrem, & expugnabat plebem, & timuit eum Iſrael vehementer, & non potuit ſtare plebs per omnes dies Syſaræ. Et cum humiliatus fuiſſet Iſrael valde, collecti ſunt in montem Iuda omnes filii Iſrael vnanimes, & dixerunt: Dicebamus beatos nos eſſe præ cæteris gentibus,& nunc ecce ita humiliati ſumus præ omnibus plebibus, vt non poſſimus habitare in terra noſtra, & inimici noſtri dominantur nobis, & nunc quis nobis fecit hæc omnia? Nonne iniquitates noſtræ,quoniam dereliquimus Dominum patrum noſtrorum,& in his ambulauimus,quæ non proderant nobis? Et nunc venite, ieiunemus ſeptem dies a viro vſque ad mulierem, & a minimo vſque ad lactantem. Et quis ſcit ſi replacabitur Deus hæreditati ſuæ,vt non diſperdat plantationem vineæ ſuæ? Et cum ieiunaſſent plebes VII. diebus in cilicio ſedentes,miſit eis Dominus ſeptima die Debboram,quæ dixit ad eos:Si poteſt occidenda ouis reſpondere in conſpectu occidentis eam,cum & qui occidet,& qui occiditur taceat, cum aliquoties contriſtetur in eam? Et nunc vos nati eſtis in gregem, in conſpectu domini noſtri, & perduxit vos in altitudinem nubium, & angelos ſubiecit ſub pedibus veſtris, & diſpoſuit vobis legem, & mandauit vobis per prophetas, & caſtigauit vos per duces, & oſtendit vobis mirabilia non pauca, & propter vos præcepit luminaribus, & ſteterunt in locis iuſſis, & cum venirent ſuper vos inimici veſtri lapides grandinis pluit ſuper eos, & perdidit eos. Et præcepit vobis Moſes, & Ieſus, & Cenez, & Zebul, & non obaudiſtis eis: Nam viuentibus illis oſtendiſtis vos ſicut ſeruientes Deo veſtro, mortuis autem his, mortuum eſt etiam & cor veſtrum. Et facti eſtis ſimiles ferro miſſo in ignem, quod conflatum per flammam, fiet tanquam aqua, & cum exierit de igne,reuertitur in duritiam ſuam.ſic & vos,dum vos vrunt hi qui vos monent, demonſtratis factum, & poſtquam defuncti fuerint, obliuiſcimini omnium. Et ecce nunc Dominus reconciliabitur vobis in hodierna die,non pro vobis, ſed pro teſtamento ſuo, quod diſpoſuit patribus veſtris, & iuramento quod iurauit vt non desereret vos vſque in finem. Scitote autem quoniam poſt diſceſſum meum incipietis peccare in nouiſſimis veſtris. Propter quod faciet in vos mirabilia dominus, & tradet in manus veſtras inimicos veſtros, quoniam patres veſtri mortui ſunt: Nam qui eis diſpoſuit teſtamentum Deus vita eſt. Et miſit Debboram,& vocauit Borach, & dixit ad eum: Surge & præcinge lumbos tuos,tanquam vir, & deſcende & expugna Syſaram, quoniam video aſtra conturbari in diſpoſitione ſua, & parari in pugnam vobiſcum. Video etiam & coruſcationes immobiles in curſu ſuo, proficiſcentes ad impediendum currum eorum, qui gloriantur in virtute Syſaræ, qui dicit: Iens deſcendam in brachio virtutis meę expugnare Iſrael,

& ſpolia eorum diuidam pueris meis,& ſpecioſas mulieres accipiam mihi in concubinas. Et propter hæc locutus eſt de eo Dominus, vt brachium infirmæ mulieris expugnet eum, & ſpolia eius rapiant puellæ, & in manus mulieris incidat etiam & ipſe. Et vt deſcendit Debbora & populus, & Barach in obuiam inimicorum, ſtatim Dominus conturbauit motum ſtellarum ſuarum,& dixit ad eos dicens: Feſtinate, & ite, incidunt enim inimici veſtri in vos,& conturbate brachia eorum,& conteremini virtutem cordis eorum; quoniam veni vt dominetur populus meus. Nam etſi populus meus peccauit, ego tamen miſereor ei. Et his dictis profecta ſunt aſtra ſicut pręceptum fuerat eis,& incenderunt inimicos eorum. Et erat numerus congregatorum in vna hora perempti, nonagies nonaginta ſeptem millia virorum. Syſaram autem non diſſipauerunt; quoniam ſic præceptum fuerat eis. Et cum Syſara ſedens equo fugiſſet, vt liberaret animam ſuam, Iahel vxor Cinei ornauit ſe ornamento ſuo,& exiuit obuiam ei. Mulier autem erat bonæ ſpeciei valde, & videns eum dixit ad illum: Ingredere & ſume cibum,& dormiens ad veſperum, mittam tecum pueros meos. Scio enim, quoniam memor mei eris, & vicem reddes mihi. Et ingreſſus Syſara, vt vidit roſas ſparſas in lecto, dixit: Si liberabor, ibo ad matrem meam Iahel,& erit mihi mulier. Et poſt hæc ſitiuit Syſara, & dixit ad Iahel: Porrige mihi modicum aquæ, quoniam diſſolutus ſum,& vritur anima mea de flamma, quam vidi in aſtris. Et dixit ad eum Iahel: Modicum requieſce, & ſic bibes. Et cum obdormiſſet Syſara, Iahel perrexit ad pecora, & mulſit ex eis lac. Et cum mulgeret, dicebat: Ecce nunc memor eſto Domine, quoniam quando diuidebas omnem tribum vel generationem terræ, nonne elegiſti ſolum Iſrael, & non aſſimilaſti eum animalibus, niſi velut arietem præcedentem, & ducatorem gregis? Et ideo reſpice & vide, quia Syſara cogitauit dicens: Vadam & puniam gregem fortiſſimi. Et ecce ego accipiam de lacte pecorum iſtorum quibus aſſimilaſti populum tuum, & iens potabo eum: & cum biberit, diſſoluetur; & poſt hæc occidam eum. Hoc autem ſignum erit quod facies mihi Domine, vt dormiente Syſara, cum ingreſſa fuero, ſi expergefactus petierit me continuo dicens: pota me aqua ſcio quoniam exaudita eſt oratio mea. Et reuertens vt ingreſſa eſt Iahel, expergefactus Syſara, dixit ad eam: Pota me, quoniam vror valde, & exardeſcit anima mea. Et accipiens Iahel vinum, miſcuit lacte, & dedit ei bibere. Et ille bibens obdormiuit. Iahel autem accipiens palum in ſiniſtra manu ſua, appropiauit ei, dicens: Hoc ſignum ſi faciet mecum Dominus, ſcio quoniam incidet in manus meas Syſara. Ecce iacto eum in terram de lecto, in quo dormit, & erit vt ſi non ſenſerit, ſcio quoniam traditus eſt. Et accipiens Iahel Syſaram, impulit eum in terram de lecto. Ille autem non ſentiebat,
quoniam

quoniā valde fuerat diſſolutus. Et dixit Iahel: Virtutifica in me Domine hodie brachium meū, propter te, & propter populum tuum, & propter eos qui ſperant in te. Et accepit Iahel palum, & poſuit eum ſuper tempus eius, & percuſſit de malleo: & cum moreretur, dixit Syſara ad Iahel: Ecce dolor accepit me Iahel, & morior tanquam mulier. Et dixit ad eum Iahel: Vade gloriare apud patrem tuum in inferis, & dicito, quoniam incideris in manus mulieris. Et faciens occidit eum, & poſuit corpus eius donec reuerteretur Barach. Mater autem Syſaræ dicebatur Themec, quæ miſit ad amicas ſuas, dicens: Venite, & exeamus ſimul in obuiam filio meo, & videbitis filias Hebræorum, quas adducet filius meus ſibi in concubinas. Barach autem reuerſus a perſecutione Syſaræ, contriſtatus valde quod non inueniſſet eum. cui exiens in obuiam Iahel dixit: Veni, ingredere, benedictus a Deo, & tradam tibi inimicum tuum, quem perſequens non inueniſti. Et ingreſſus Barach inuenit Syſaram mortuum, & dixit: Benedictus Dominus qui miſit ſpiritum ſuum, & dixit, in manum mulieris tradetur Syſara. Et his dictis, abſtulit caput Syſaræ, & tranſmiſit illud matri eius, & mādauit ei dicens: Accipe filium tuū quem ſperabas venire cum ſpoliis. Tunc Debbora & Barach filius Abino, & omnis populus vnanimiter hymnum dixerunt Domino in die illa, dicentes: Ecce de alto oſtendit nobis Dominus gloriam ſuam, ſicut fecit ſuperioribus locis, emittens vocem ſuam, vt confunderet linguas hominum, & elegit gentem noſtram, & eiecit de igne Abraham patrem noſtrum, & elegit eum præ omnibus fratribus ſuis, & cuſtodiuit eum de igne, & liberauit eum de lateribus turrificationis, & dedit ei filium in nouiſſimo ſenectutis eius, & eiecit eum de metra ſterili, & zelati ſunt eum omnes angeli, & inuiſi ſunt ei cultores militiarum. Et factum eſt cum zelarent ei, dixit ad eum Deus: Occide fructum ventris tui pro me, & offeres pro me ſacrificium quod donatum a me tibi. Et Abraham non contradixit, & profectus eſt ſtatim. Et cum proficiſceretur, dixit ad filium ſuum: Ecce nūc fili offero te holocauſtomata, & in manus te trado qui donauit te mihi. Filius autem dixit ad patrem: Audi me pater: Si agnus ex pecoribus acceptatur in oblationes Domini in odorem ſuauitatis, & pro iniquitatibus hominum pecora conſtituta ſunt in occiſionem, homo autem poſitus eſt in hęreditatem ſeculi, & quomodo nunc dicis mihi: Veni, & hæreditare ſecuram vitam, & immenſurabile tempus? Quid ſi non eſſem natus in ſeculo, vt offerrer ſacrificium ei qui me fecit. Erit autem mea beatitudo ſuper omnes homines, quia non erit aliud, & in me adnuntiabuntur, & per me intelligent populi, quoniam dignificauit Dominus animam hominis in ſacrificium? Et cum obtuliſſet pater filium in aram, & ligaſſet ei pedes vt eum occideret, feſtinauit fortiſſimus, & miſit de alto vocem

ſuam, dicens: Non interficias filium tuum, neque diſperdas fructum ventris tui: nunc enim manifeſtaui, vt apparerem ignorantibus me, & clauſi ora maledicentium ſemper aduerſus te. Erit autem memoria tua in conſpectu meo in ſempiternum, & erit nomen tuum, & huius, in generationem & generationem. Et dedit Iſaac duos filios, etiam ipſos de metra concluſa. Et tunc mater eorum erat in tertio anno nuptiarum ſuarum, & non erit ſic omni mulieri, nec gloriabitur ſic quæcunque fœmina. In tertio autem anno appropinquans, nati ſunt ei duo filii, Iacob & Eſau. Et dilexit Deus Iacob: Eſau autem odio habuit propter opera eius. Et factum eſt in ſenectute patris eorum, benedixit Iſaac Iacob, & miſit eum in Meſopotamiã. & generauit ibi duodecim filios, & deſcenderunt in Ægyptum, & habitauerunt ibi. Et cum malignati fuiſſent aduerſus eos inimici eorum, exclamauit populus ad Dominum, & exaudita eſt oratio illorum, & eduxit eos inde, & duxit in montem Syna, & protulit eis fundamentum intellectus, quod præparauit ex natiuitate ſeculi, & tunc commoto fundamento militiæ feſtinauerunt fulgura in curſus ſuos, & venti ſonum reddiderunt de promptuariis ſuis, & terra mota eſt de firmamento ſuo, & tremuerũt montes, & rupes in compaginibus ſuis, & nubes eleuauerunt fluctus ſuos contra flammam ignis, vt non exurerent ſeculum. Tunc expergefacta eſt abyſſus de venis ſuis, & omnes fluctus maris conuenerunt in vnum. Tunc paradiſus reddita inſpiratione fructus ſui, & cedri Libani motæ ſunt de radicibus ſuis, & beſtiæ campi commotæ ſunt in habitationibus ſyluarum, & omnia opera eius conuenerunt ſimul, vt viderent teſtamentum diſponentem dominum ad filios Iſrael. Et omnia quæ dixit fortiſſimus, hæc cuſtodiuit, habens teſtem Moſen dilectum ſuum. Et cum moreretur, diſpoſuit ei firmamentum, & oſtendit ei tunc quos nunc habemus teſtes, dicens: Sit teſtis inter me, & te, & populum meum, cælum, in quo ingreſſus es, terra, in qua ambulaſti vſque nunc: miniſtri enim erunt vobis ſol & luna & aſtra. Et cum exurgeret Ieſus regere populum, factum eſt vt die in qua expugnabat inimicos appropinquaret veſpera, pugna adhuc ſuperante, dixit Ieſus ſoli & lunæ: Vos miniſtri, qui facti eſtis inter fortiſſimum & filios eius, ecce nunc pugna adhuc ſupereſt & vos derelinquitis officia veſtra. ſtate ergo hodie, & lucete filiis eius, & intenebrificate inimicos eius. Et fecerunt ita. Et nunc in diebus his inſurrexerat Syſara ſeruificare nos, & exclamauimus ad dominum noſtrum, & præcepit aſtris, & dixit: Diſcedite de diſpoſitionibus veſtris, & incẽdite inimicos meos vt ſciant virtutem meam. Et deſcenderunt aſtra, & expugnauerunt caſtra eorum, & ſine labore cuſtodierunt nos. Propterea non ceſſamus hymnizare, nec tacebit os noſtrum in narrando mirabilia eius, quoniam memoratus eſt & iuuenum & antiquarum

quarum ſponſionum, & liberationem ſuam oſtendit nobis. Et ideo in mulieribus gloriatur Iahel, quoniam ſola direxit bonam viam per manus ſuas, occidens Syſaram. Vade terra, ite cæli, & fulgura, ite angeli militiæ, ite & nuntiate patribus in promptuariis animarum eorum,& dicite: Non eſt oblitus fortiſſimus ſponſionum minimam, quas diſpoſuit nobis dicens: multa faciam miracula cum filiis veſtris. Et nunc ex hodierna die ſcietur,quia quæ dixit Deus hominibus,vt faceret,hæc & faciet. Etiamſi moratur homo hymnizare Deo, hymniza vel tu Debbora,& euigilet ſancti ſpiritus gratia in te, & incipe laudare opera Domini, quoniam non reſurget talis dies per quem aſtra annuntient, & expugnent inimicos Iſrael ſicut præceptum eſt eis. Et hac hora ſi incidat Iſrael in preſſura inuocet teſtes iſtos,vna cum miniſtris,& legatione fungetur ad altiſſimum, & memor erit iſtius diei,& mittet liberationem teſtamenti ſui. Et tu Debbora incipe loqui quæ vidiſti in campo,quoniam populi ſecuri ambulantes profecti ſunt,aſtra pugnabant pro eis. Gratulare terra ſuper habitantes in te, quoniam adeſt conſcientia Domini quæ turrificat in te: Non enim iniuſte accepit Deus de te coſtam protoplaſti, ſciens quoniam de coſta eius naſceretur Iſrael. Erit enim in teſtimonium plaſmatio tua, quid fecerit Dominus populo ſuo. Suſtinete horæ diei, & nolite feſtinare, vt exponamus quæ poteſt ſenſus noſter proferre, quia nox futura eſt nobis. Erit ſimilis nocti, cum Deus percuſſit primogenita Ægyptiorum, propter primogenitum ſuum. Et tunc pauſabo de hymno meo,quia tempus pręparabitur iuſtificationibus ſuis. Hymnizabo enim ei in innouatione creaturæ, & populus memor erit ſaluationis huius, & erit ei in teſtimonium. Et mare teſtis ſit cum abyſſo ſua,quoniam non ſolum ſiccauit eum Deus ante conſpectum patrum noſtrorum, ſed & caſtra de diſpoſitionibus ſuis euertit,& expugnauit inimicos noſtros. Et vt pauſauit Debbora de verbis ſuis, aſcendit cum populo vnanimiter in Silo, & obtulerunt ſacrificia & holocauſtomata, & delatis pſalpingis pſallauerunt. Et cum pſallerent, oblatiſque ſacrificiis dixit Debbora: Erit hoc in teſtimonium pſalpingum, inter aſtra & Dominum eorum. Et deſcendit Debbora inde, & inde, & iudicauit Iſrael XL. annis. Et factum eſt dum appropinquarent dies mortis eius, miſit & congregauit omnes populos, & dixit ad eos: Audite nunc populi mei: Ecce ego moneo vos tanquam mulier Dei,& illumino vos tanquam ex fœmineo genere,& obaudite mihi quaſi matri veſtræ,& intendite verbis meis tanquam morituri & ipſi: Ecce ego proficiſcor mori, viam totius carnis, quo venietis & vos, tantum cor veſtrum dirigite ad Dominum Deum veſtrum in tempore vitæ veſtræ, quoniam poſt mortem veſtram, in his in quibus viuitis pœnitere non poteritis. Signata eſt enim iam tunc mors, & perfecta eſt, &

menſura, & tempus, & anni reddiderunt depoſitum ſuum. Nam ſi requiratis in inferno inique agere poſt mortem veſtram, non poteritis: quoniam pauſabit cupiditas peccandi, & plaſmatio iniqua perdet poteſtatem ſuam: quoniam & infernus accipiens ſibi depoſita, non reſtituet, niſi repoſcetur ab eo qui depoſuit ei. Nunc ergo filii mei vos obaudite voci meæ, donec habetis tempus vitæ & legis lumen, dirigite vias veſtras. Et dum loqueretur Debbora verba hæc, leuauerunt omnes populi vocem vnanimiter, & plorantes dixerunt: Ecce nunc mater moreris, & relinquens filios tuos, cui commendas eos? Ora itaque pro nobis: & poſt receſſum tuum erit anima tua memor noſtri in ſempiternum. Et reſpondit Debbora, & dixit ad populum: Adhuc viuens homo poteſt orare pro ſe & pro filiis ſuis, poſt finem autem non poterit exorare, nec memor eſſe alicuius. Propterea nolite ſperare in patres veſtros: non enim proderunt, niſi ſimiles inueniamini in eis. Erit autem veſtra ſimilitudo tunc tãquam ſydera cæli, quæ nunc in vobis manifeſta ſunt. Et mortua eſt Debbora, & dormit cum patribus ſuis, & ſepulta eſt in ciuitate patrum ſuorum, & planxerunt eam populi LXX. diebus. Et dum plangerent eam, hæc verba dixerunt: Ecce periit mater ex Iſrael, & ſancta quærebat ducatum in domo Iacob, quæ obdurauit ſeptem generationis ſuæ, & generatio eius requiret eam. Et poſt mortem eius quieuit terra annis VII Et in illo tempore aſcendit quidam Aod de ſacris Madian, & hic erat maleficus, & dixit ad Iſrael, dicens: Vt quid intenditis legi veſtræ? Venite, ego oſtendam vobis qualis nox eſt lex veſtra. Et dixit populus: Quid oſtenſurus es nobis, quod non habeat lex noſtra? Et ille dixit ad populum: Nunquid aliquando vidiſtis ſolem noctu? Et dixerunt, non. Et ille dixit: Quando volueritis oſtendam vobis, vt ſciatis quoniam dii noſtri virtutem habent, & non fallent eos qui ſeruiunt eis. Et illi dixerunt: Oſtende. Et abiit, & fecit magicis ſuis, præcipiens angelis qui præerant maleficiis: quoniam immolabat eis multo tempore: in hoc enim quod monſtrabatur ab angelis antequam iudicarentur, & vellent perdere immenſurabile ſeculum, & quia tranſgreſſi ſunt, factum eſt vt angeli in poteſtate non eſſent. Quando enim iudicati ſunt, tunc cæteris non eſt data poteſtas, & in his operantur qui miniſtrant hominibus in maleficiis, vſquequo veniat immenſurabile ſeculum. Et tunc arte maleficii oſtendit populo ſolem nocte. Et ſtupefacti populi dixerunt: Ecce quantum poſſunt dii Madianitum, & nos non ſciebamus. Et volens Deus tentare Iſrael ſi adhuc eſſet in iniquitatibus permiſit, & directum eſt opus eorum, & populus Iſrael implanatus eſt, & cœpit ſeruire diis Madianitum. Et dixit Deus: Tradam eos in manus Madianitum, eo quod implanati ſunt ab his. Et tradidit eos in manus eorum, & cœperunt Madianites in ſeruitutem redigere

Iſrael.

Iſrael. Gedeon autem erat filius Ioath, vir fortiſſimus inter omnes fratres ſuos. Et dum eſſet tempus æſtiuum, venit habens manipulos vt excuteret eos in montem, & fugaret imminentes Madianitas, obuiauit ei Angelus Domini, & dixit ad eum: Vnde venis, & vbi ingreſſus tuus? Dixit ei: Quid me interrogas vnde veniam, quia preſſura circuiuit me. incidit enim Iſrael in anguſtias, tradentes traditi ſunt in manus Madianitum. Et vbi ſunt mirabilia quæ narrauerũt nobis patres noſtri, dicẽtes: Dominus elegit Iſrael ſingularẽ præ omnibus populis terræ? Et ecce modo tradidit nos, & oblitus eſt ſpõſionum quas dixit patribus noſtris. Malebamus enim ſemel tradi morti, quam ſic per tempus puniri populum eius. Et dixit ad eum angelus Domini: Non traditi eſtis in vanum, ſed adinuentiones veſtræ fecerunt vobis hæc: quia ſecundum quod reliquiſtis ſponſiones quas accepiſtis a Domino, venerunt vobis mala hæc, & non fuiſtis memores mandatorum Dei, quæ mandauerunt vobis hi qui fuerunt ante vos, ideo veniſtis in odium Dei veſtri: ſed ipſe miſerebitur ſicut nemo miſeretur genus Iſrael, etiam non propter vos, ſed propter eos qui dormierunt. Et nunc veni, mittam te, & liberabis Iſrael de manu Madianitum: quoniam hæc dixit dominus: Et ſi Iſrael non eſt iuſtus, tamen quia Madianitæ peccatores ſunt, propter hoc cognoſcens iniquitatem populi mei remittam illis, & arguam eos poſtea, eo quod inique geſſerint: in Madianitas autem in præſenti faciam vindictam. Et dixit Gedeon; Qui ſum ego, & quæ eſt domus patris mei, vt vadam contra Madianitas ad pugnam? Et dixit ad eum angelus: Forſitan tu putas quemadmodum via hominum, ſic via ſit Dei. Homines enim intendunt in gloriam ſeculi, & diuitias: Deus autem in directum bonum, & in manſuetudinem. Nunc ergo vade, & cinge lumbos tuos, & dominus erit tecum. Te enim elegit, vt vindictam facias de inimicis ſuis, ſicut ecce præcepit tibi. Et dixit Gedeon ad eum: Non indignetur Dominus meus vt dicam verbum: Ecce Moſes primus omnium prophetarum petiit dominum ſignum, & datum eſt ei. Ego autem qui ſum, niſi forte quia elegit me Dominus, det mihi ſignum, vt ſciam quoniam dirigor. Et dixit ad eum angelus Domini: Curre, & accipe mihi aquam de lacu illo, & funde ſuper petram iſtam, & dabo tibi ſignum. Et abiens accepit ſicut præcepit ei. Et dixit ad eum angelus: Antequam fundas ſuper petram aquam, pete quid velis fieri de ea, ſiue ſanguinem, ſiue ignem, ſiue vt nuſquam compareat. Et dixit Gedeon: Fiat medium ſanguis, & medium ignis. Et effudit Gedeon aquam ſuper petram, & factum eſt cum effudiſſet, vt fieret media pars flamma, media autem pars ſãguis, & commixta ſunt vtraque, id eſt, ignis & ſanguis, & non extinxit ignem ſanguis, nec ſanguinem ignis exuſſit: Et hæc videns Gedeon, petiit alia ſigna, & data ſunt ei. Nonne hæc ſcripta ſunt

in libro Iudicum? Et accepit Gedeon CCC. viros, & abiens venit vſque ad extrema caſtrorum Madian, & audiuit vnumquenque loquentem ad proximum ſuum, dicentes: Videbitis inæſtimabilem turbationem rhomphææ Gedeonis venientem ſuper nos, quia tradidit in manus eius deus caſtra Madianitum, & incipiet conſumare nos, id eſt, matrem cum filiis, quoniam completa ſunt peccata noſtra, ſicuti & dii noſtri oſtenderunt nobis, & non credimus eis. Et nunc ſurgentes adiuuemus animas noſtras, & fugiamus. Et Gedeon mox vt audiuit verba hęc, induit ſpiritum Domini, & virtutificatus dixit CCC. viris: Exurgentes vnuſquiſque veſtrum cingat ſe rhomphęam ſuam, quoniam traditi ſunt Madianites in manus noſtras. Et deſcenderunt cum eo viri: & acceſſit, & cœpit pugnare, & tubantes vlulauerunt pariter & dixerunt: Rhomphæa Domini ſuper nos. Et occiderunt ex Madianitis quaſi CXXM. virorum: & fugerunt reſidui Madianitum. Et poſt hæc venit Gedeon, & congregauit populum Iſrael, & dixit ad eos: Ecce miſit me Dominus pugnare pugnam veſtram, & abii ſecundum quod præcepit mihi. Et nunc vnam petitionem peto a vobis, ne auertatis faciem veſtram, & det mihi vnuſquiſque veſtrum aurea dextralia, quæ habetis in manibus veſtris. Et extendit Gedeon tunicam, & miſerunt ſinguli quique dextrales ſuos, & penſata ſunt omnia, & inuentum eſt pondus eorum talenta XII. Et accepit ea Gedeon, & fecit ex his idola, & adorabat ea. Et dixit Deus: Vna via poſita eſt vt non redarguam Gedeonem in vita ſua, eo quod diſſipauerat ſacrarium Baal: quia dixerunt tunc omnes: Vindicet ſe Baal. Erit nunc ſi caſtigauero eum propter quod inique geſſit in me, dicetur: non Deus caſtigauit eum, ſed Baal, quoniam ante peccauit in eum. Et ideo nunc morietur Gedeon in bona ſenectute, vt quod loquantur. Sed poſtea cum mortuus fuerit Gedeon, caſtigabo eum ſemel, eo quod deliquerit in me. Et mortuus eſt Gedeon in ſenectute bona, & ſepultus eſt in ciuitate ſua. Et filium de concubina habens occidit fratres ſuos omnes, volens eſſe dux populi. Tunc conuenerunt omnia ligna campi ad ficum, & dixerunt: Veni, regna ſuper nos. Et dixit ficus Nunquid in regno nata ſum, aut in principatu lignorum? Aut ideo plantata ſum, vt regnem in vobis? Et ideo ſicut ego vobis regnare non poſſum, ſic non accipiet Abimelech perſeuerantiam principatus ſui. Et poſtea conuenerunt ligna ad vineam, & dixerunt: Veni regna ſuper nos. Et dixit vitis: Ego plantata ſum ad præſtandam hominibus ſuauitatem, venite & ſuſtinete ortus mei fructum. Sed quemadmodum ego non poſſum regnare ſuper vos, ſic ſanguis Abimelech exquiritur de vobis. Et deinceps venerunt ligna ad malum, & dixerunt: Veni, regna ſuper nos. Et dixit: Præceptum eſt mihi, præſtare hominibus fructum odoris, ideo non poſſum regnare ſuper vos: & Abimelech

lech lapidibus morietur. Et tunc venerunt ligna ad rubum, & dixerunt: Veni, regna ſuper nos. Et dixit rubus naſcente ſpina, veritas in ſpecie ſpinæ prælucebat. Et quando iudicatus eſt protoplaſtus, mortis ſpinas & tribulos iudicata eſt proferre terra. Et cum Moſen illuminabat veritas per ſenticetum illuminabat eum. Et nunc erit vt de me vobis veritas audiatur. Et ſi in vero dixiſtis rubo, vt in veritate regnaret ſuper vos, ſedete in vmbra eius. ſin autē in hypocriſi, exeat ignis, & deuoret, & comedat ligna cāpi: quia malus facta eſt in caſtigatores, & ficus facta eſt in populū, & vinea facta eſt in præceſſores. Et nūc erit vobis in hac hora, quemadmodū Abimelech, qui occidit fratres ſuos iniuſte, & vult principari in vobis. Si dignus eſt Abimelech eorū quorū vult principatū, ſit ſicut rubus quæ facta eſt redarguens imperitos populi. Et exiuit ignis de rubo, & comedit ligna quæ in cāpis ſunt. Poſt hæc principatus eſt Abimelech populo anno vno, & mēſibus ſex, & mortuus eſt. Et dimittēte muliere ſuper eum medium fragmentum molæ ædificauit ſacrarium Baal, & ſeduxit populum, dicens: Omnis qui non ſacrificauerit Baal, morietur. Et cum ſacrificaret omnis populus ſoli ſeptem viri noluerunt ſacrificare: quorum nomina hæc ſunt, Dephal, Abieſdrel, Getalibal, Selumi, Aſſur, Ionadali, Memihel: qui reſponderunt dicentes Iair: Ecce nos memores præceptorum ſumus, quæ pręceperunt nobis præceſſores noſtri, & Debbora mater noſtra, dicens: Videte ne declinetis cor veſtrum ad dextram vel ad ſiniſtram, ſed legi domini intendite die ac nocte, & nunc quare corrumpis populum Domini, & ſeducis eum, dicens: Deus eſt Baal, adoremus eum? Et nunc ſi Deus eſt, ſicut dicis, loquatur tanquam Deus, & tunc ſacrificabimus illi. Et dixit Iair: Comburite eos igni, quoniam blaſphemauerunt Baal. & acceperūt eos pueri eius, vt incenderent illos igni. Et cum imponerent eos ſuper ignem, exiuit Nathaniel angelus qui præeſt igni, & extinxit ignem, & incendit pueros Iair: viris autem ſeptem fugam dedit, ita vt nemo eos videret e populo, quoniam populum percuſſerat cæcitate. Et vt venit vſque ad locum Iair, incenſus eſt igne, & antequam eum combureret, dixit ad eum angelus domini: Audi verbum domini antequam moriaris: & hæc dicit Dominus: Leuaui te de terra Ægypti, & poſui te ducem ſuper populos meos, tu autem exurgens corrupiſti teſtamentum meum, & ſeduxiſti eos, & quæſiſti flamma concremare ſeruos meos eo quod caſtigarent te: qui incenſi ſunt igni corruptibili: nunc autem viuificati ſunt igne viuo, & liberati ſunt: tu autem morieris, dicit Dominus, & in quo igne morieris, in eo habebis habitationem. Et poſtea incendit eam. & venit vſque columnam Baal, quam demoliens, incendit Baal, cum aſſiſtentibus populis, id eſt M. viris. Et poſt hæc venerunt filii Ammon & cœperūt expugnare Iſrael, & acceperunt ciuitates eorum multas. Et dum

coanguſtarentur populi valde, congregati ſunt in Maſphath dicentes ſinguli quique ad proximos ſuos: Ecce nunc videmus preſſuram quæ includit nos, & Dominus receſſit a nobis, & iam non eſt nobiſcum, & inimici noſtri rapuerunt ciuitates noſtras, & dux non eſt qui ingrediatur, & exeat ante conſpectum noſtrum. Nunc ergo videamus quem ponamus ſuper nos, vt pugnet pugnam noſtram. Iepthan autem Galadites erat potens in virtute, cum zelaret fratres ſuos, qui eiecerant eum de terra ſua. & ille iens ſedit in terra Tobi: Et congregati ad eum viri vagi, commorati ſunt cum eo. Et factum eſt cum expugnaretur Iſrael, venerunt in terram Tobi ad Iептham, & dixerũt ad eum: Veni principare populo: Quis enim ſcit, ſi propterea ſeruatus es in dies iſtos, aut propterea liberatus es de manibus fratrum tuorum, vt principeris in tempore hoc, populo tuo? Et dixit ad eos Iepthan: Sic poſt odium dilectio reuertitur, aut tempus omnia vincit, quoniam eieciſtis me de terra mea, & de domo patris mei, & nunc veniſtis ad me, quando preſſura facta eſt vobis. Et dixerunt ad eum, Si Deus patrum noſtrorum cum peccauiſſemus ei, & tradidiſſet nos in conſpectum inimicorum noſtrorum, & premeremur ab his, immemor fuit peccatorum noſtrorum, & liberauit nos: & quid tu vis homo mortalis iniquitates quæ acciderunt nobis memorari in tempore preſſuræ noſtræ? Et ideo non ita ſit coram te domine. Et dixit Iepthan: Deus poteſt peccatorum noſtrorum memor non eſſe, qui habet tempus & locum vbi requieſcat a longanimitate ſua tanquam Deus, ego autem mortalis, & de terra factus, in quam reuerſurus ſum, vbi proiiciam iram meam, & iniuriam qua nocuiſtis me? Et dixit ad eum populus: Edoceat te columba, cui aſſimilatus eſt Iſrael, quia cum auferuntur ab ea filii eius, tamen de loco non recedit ſuo. & reſpuens iniuriam ſuam, obliuiſcet velut in profundo abyſſi. Et ſurrexit Iepthan, & venit cum eis, & collegit omnem populum, & dixit ad eum: Scitis quod dum viuerent duces noſtri, monuerunt nos vt ſequeremur legem noſtram. Et Amon, & filii eius auerterunt populum ſuum de via ſua, in qua ambulabant, & ſeruierunt diis alienis, qui eos perderent. Nunc ergo ponite corda veſtra in lege Domini Dei veſtri, & deprecemur eum vnanimes, & ſic pugnabimus aduerſus inimicos noſtros, confidentes & ſperantes in Domino, quoniam non tradet nos vſque in finem. Et ſi peccata noſtra ſuperabundent, miſericordia tamen eius implet terram. Et orauit omnis populus vnanimiter, viri & mulieres, pueri lactentes. Et cum orarent dicebant: Intende Domine in populum quem elegiſti, & non corrumpas vineam quam plantauit dextera tua, vt ſit coram te hæreditate hæc gens, quam habuiſti ab initio, & quam prætuliſti ſemper, & pro qua feciſti habitabilia, & induxiſti in terram quam iuraſti: & ne tradas nos in conſpectum odientium te Domine.

mine. Et pœnituit Deum iræ ſuæ, & confortauit ſpiritũ Iepthæ. Et miſit nuntium ad Getal regẽ filiorũ Ammon, & dixit: Quare importunus es terræ noſtræ, & accepiſti ciuitates meas, aut contriſtaris? Quare tibi nõ præcepit Iſrael, vt diſperderes inhabitantes terrã? Et nunc redde mihi ciuitates meas, & pauſabit iracundia mea a te. ſi quod minus, ſcito quoniã aſcendã ad te, & pretérita tibi reddã, & retribuã malitias tuas in caput tuũ. Aut immemor ſum, quoniam ſubdoli fuiſtis populo Iſrael in eremo? Et legati Iepthæ dixerunt mãdata hæc regi filiorũ Ammon. Et dixit Getal: Putabat Iſrael in quãtum acceperat terrã Amorræorum? Et ideo dicite: Scitote, quia nũc reſiduas ciuitates accipiam a te, & reddam tibi malitiam, & vindicabo Amorræos quos nocuiſtis. Et adiecit Iepthan mandare regi filiorum Ammon, dicens: In veritate didici, quia adduxit te Deus vt diſperdam te, niſi requieſcas ab iniquitate qua vis nocere Iſrael. Et ideo veniam ad te, & manifeſtabo me tibi: Non enim ſicut dicitis ſunt dii qui dederunt vobis hæreditatem quam poſſidetis, ſed quia poſt lapides ſeducti eſtis, veniet ignis poſt vos in vindictam. Et quia nolebat rex filiorum Ammon exaudire vocem Iepthæ, ſurrexit Ieptha, & armauit omnem populum vt exiret, & in præcinctu pugnaret, dicens: Cum traditi fuerint filii Ammon in manus meas, & reuerſus fuero, omnis qui mihi primus obuiauerit, erit Domino in holocauſtum. Et iratus eſt dominus ira & dixit: Ecce orauit Ieptha, vt offerret mihi omne quod primum obuiauerit ei, & nunc ſi canis primus obuiauerit Iepthæ, nunquid canis offerretur mihi? Et nunc fiat oratio Iepthæ in primogenitum eius, id eſt, in fructum ventris ipſius, & petitio ipſius in vnigenitam eius. Ego autem liberans liberabo populum meum in iſto tempore, non pro eo, ſed pro oratione quam orauit Iſrael. Et venit Ieptha, & expugnauit filios Ammon, & tradidit eos Dominus in manus eius, & percuſſit ciuitates eorum ſexaginta. & reuerſus eſt Ieptha cum pace. Et exierunt mulieres in obuiam ei in choris. Et erat ei vnigenita filia quæ in choris exiit prima obuiam patri ſuo. Et videns eam Ieptha, reſolutus eſt, & dixit: Iuſte vocatum eſt nomẽ tuum Seila, vt offeraris in ſacrificium. Et nunc quis dabit cor meum in ſtatera, animam in pondere, & ſtabo & videbo, vtrum epulatio quæ facta eſt, an triſtitia quæ contingit mihi? Et quia in cantico votorum aperui os meum Domino meo, non poſſum reuocare illud. Et dixit ei Seila filia eius: Et quis eſt qui triſtetur moriens, videns populum liberatum? Aut immemor es quæ facta ſunt in diebus patrum noſtrorum, quando pater filium imponebat in holocauſtum, & non contradixit ei, ſed epulans conſenſit illi? Et erat qui offerebatur paratus, & qui offerebat gaudens. Et nunc omnia quæ oraſti non deſtruas, ſed fac vnam autem petitionem Peto a te antequam moriar poſtulationem minimam, exoro priuſquam

reddam animam meam, vt vadam in montes, & permeem in collibus & perambulem petras, ego & conuirginales meæ, & effundam in eis lachrymas meas, & referam triſtitias iuuentutis meæ, & plorabunt me ligna campi, & plangent me beſtiæ campeſtres, quia non ſum triſtis in hoc quod moriar, nec dolet mihi quia reddo animam meam, ſed quoniam in oratione præoccupatus eſt pater meus: & ſi ſpontaneam me non obtulero in ſacrificium, timeo ne non ſit acceptabilis mors mea, aut in vano perdam animam meam. Hæc referam mentibus, & poſt reuertar. Et dixit pater eius: Vade. Et profecta eſt Seila filia Iepthæ, ipſa & conuirginales eius, & venit, & narrauit ſapientibus populi, & nemo potuit reſpondere ad verbum eius. Et poſt venit in montem Stelac, & Dominus cogitauit ſuper eam noctu, & dixit: Ecce nunc conclnſi linguam ſapientum populi mei in generationem iſtam, vt non poſſint reſpondere filiæ Iepthæ ad verbum eius, vt compleretur verbum meum, ne deſtrueretur conſilium meum quod cogitaueram, & ipſam vidi magis ſapiētem, quam patrem ſuum, & ſenſatam virginem præ omnibus qui hic ſunt ſapientibus, & nunc detur anima eius in petitione eius, & erit mors eius pretioſa ante conſpectum meum omni tempore. Et vt venit filia Iepthæ in montem Stelac, cœpit plorare. Et hic threnus eius, in quo plangens plorauit ſe antequam recederet, & dixit: Audite montes threnum meum, & intendite colles lachrymas oculorum meorum, & teſtes eſtote petræ in planctu animæ meæ. Ecce quomodo accuſor, ſed non in vano recipiatur anima mea. Proficiſcantur verba mea in cælis, & ſcribantur lachrymæ meæ ante conſpectum firmamenti, vt pater non expugnet filiam quam deuouit ſacrificare, vt princeps illius vnigenitam audiat in ſacrificio promiſſam. Ego autem non ſum ſaturata thalamo meo, nec repleta ſum coronis nuptiarum mearum. Non enim veſtita ſum ſplendore ſedens in genua mea, non ſum vna Moiſi odoris mei, nec froniuit anima mea oleo vnctionis quod præparatum eſt mihi. O mater in vano peperiſti vnigenitam tuam, quoniam factus eſt infernus thalamus meus, & genuam meam ſuper terram, & confectio omnis olei quod præparaſti mihi effundatur, & alba quam neuit mater mea tinea comedat eam, & corona quam intexuit nutrix mea, in tempore marceſcat, & ſtratoria quæ texuit ingenuam meam de hyacinthino & purpura, vermis ea corrumpet, & referentes de me conuirgines meæ in gemitu per dies plangant me. Inclinate arbores ramos veſtros, & plangite iuuentutem meam, venite feræ ſyluarum & conculcate ſupra virginitatem meam, quoniam abſciſſi ſunt anni mei, & tempus vitæ meæ in tenebris inueterauit. Et his dictis reuerſa eſt Seila ad patrem ſuum, & fecit omnia quæcunque orauit, & obtulit holocauſtomata. Tunc omnes virgines Iſrael conuenerunt, & ſepelierunt filiam

filiam Iepthæ, & planxerunt eam, & fecerunt filii Iſrael planctum magnum, & conſtituerunt in eo menſe quartadecima die menſis, vt conuenientes per ſingulos annos plangerent filiam Iepthæ per dies quatuor. Et fecerunt nomẽ ſepulchri eius iuxta nomen eius Seila. Et iudicauit Ieptha filios Iſrael annos decem, & mortuus eſt, & ſepultus eſt cum patribus ſuis. Et poſt eum ſurrexit Moab: Iudex in Iſrael Addo filius Elech de Praton, & iudicauit & ipſe filios Iſrael annis octo. Et in diebus ipſius miſit rex Moab nuntios ad eum, dicens: Ecce nunc ſcies quoniam ciuitates meas accepit Iſrael, & nunc redde eas in remiſſionem. Et dixit Addo: Nec docti eſtis in his quæ contigerunt filiis Ammon, niſi forte iam peccata Moab repleta ſint? Et miſit Addo, & accepit de populo XX. M. virorum, & venit in Moab, & expugnauit eos, & interfecit de eis XLV. M. virorum, reliqui autem fugerunt ante conſpectum eius. Et reuerſus eſt Addo cum pace: & obtulit holocauſtomata, & ſacrificia domino ſuo, & mortuus eſt, & ſepultus eſt in Euphrata ciuitate ſua. Et in tempore eo elegit populus Elon, & conſtituit eum ſibi iudicem, & iudicauit Iſrael XX. annis. Et in illis diebus expugnauerunt allophylos, & acceperunt ab his duodecim ciuitates. Et mortuus eſt Elon & ſepultus eſt in ciuitate ſua. Filii autem Iſrael obliti ſunt Dominum Deum ſuum, & ſeruierunt diis habitantium terram, & propter hoc traditi ſunt allophylis, & ſeruierũt eis annis XL. Fuit autem vir de tribu Dan, cui nomen erat Manue, filius Edoc, filii Odon, filii Eriden, filii Phadeſur, filij Dema, filii Suſi, filii Dan, & erat ei mulier cui nomen Eluma, filia Remac. Et hæc erat ſterilis, & non pariebat ei. Cui cum diceret quotidie Manue maritus eius: Ecce concluſit Dominus metram tuam, vt non pareres, & nunc dimitte me, vt accipiam aliam mulierem, ne moriar ſine fructu. Et dicebat illa: Non me concluſit Dominus vt non parerem, ſed te, vt non faciam fructum. Et ille dixit ad eam: Experimentum noſtrum manifeſtat lex. Et cum altercarentur quotidie, & contriſtarentur ambo valde, quia ſine fructu erant, in nocte quadam aſcendit mulier ſolarium, & orauit dicens: Ecce tu Domine Deus totius carnis, vtrum viro meo, aut mihi non ſit datum procreare filios, reuela mihi, vel cui prohibitum ſit, aut cui cõceſſum vt faciat fructum; vt cui prohibitum eſt, ingemiſcat in peccatis ſuis, quia manet ſine fructu: vel ſi ambo fraudati ſumus, & hoc reuela nobis, vt peccata noſtra ſuſtinentes taceamus coram te. Et exaudiuit dominus vocem eius, & miſit ei angelum ſuum mane, & dixit ad eam: Tu es ſterilis, quæ non parturis, & tu es metra, quæ prohibita es non facere fructum. Sed nunc exaudiuit Dominus vocem tuam, & intendit lachrymis tuis, & aperuit metram tuam. Et ecce concipies & paries filium, & vocabis nomen eius Samſon: hic enim erit ſanctificatus Domino tuo. Intende autem ne

guſtet ex omni fructu vineę, & ne comedat omne immundum, quia ſicut ipſe dixit, liberabit Iſrael de manu allophylorum. Et cum locutus fuiſſet angelus Domini verba hæc, receſſit ab ea. Et illa venit ad virum ſuum in domum, & dixit ad eum: Ecce ego appono manum meam ſuper os meum, & ore tacens ante te omnes dies, propter quod gloriata ſum in vano, & non credidi verbis tuis. Angelus enim Domini venit ad me hodie, & manifeſtauit mihi dicens: Eluma tu es ſterilis, ſed concipies, & paries filium. Et non credidit Manue mulieri ſuæ. Et confuſus triſtitia, aſcendit & ipſe in ſolario, & orauit, & dixit: Ecce non ſum dignus audire ſigna & prodigia quæ fecit in nobis Deus, aut videre faciem miſſi. Et factum eſt dum loqueretur verba hæc, adiecit angelus Domini venire ad vxorem eius. ipſa autem erat in agro, & Manue in domo ſua. Et dixit ad eam angelus: Curre, & clama ad virum tuum, quoniam dignatus eſt Deus, vt vocem meam audiat. Et currens mulier clamauit viro ſuo, & ille feſtinans venit ad angelum in agro in animo, qui dixit ad eum: Ingredere ad mulierem tuam, & fac cito omnia verba iſta. At ille dixit ei: Sed vide tu Domine, vt verbum tuum fiat ſuper puerum tuum. Et ille dixit: Fiat. Dixitque ad eum Manue: Si poſſem perſuaderem tibi, vt ingredereris in domum meam, & manducares apud me panem, & ſcires vt cum vadas darem tibi dona quæ tecum ferres, vt offerres ſacrificium Domino Deo tuo. Et dixit ei angelus: Non ingrediar tecum in domum tuam, nec manducabo panem tuum, nec dona tua accipiam. Si enim offeres ſacrificium de his quæ ſunt aliena, non poſſum gratificari tibi. Et ædificauit Manue altarium ſuper petram, & obtulit ſacrificia, & holocauſtomata. Et factum eſt dum concidiſſet carnes, & poſuiſſet eas ſuper ſacraria, miſit angelus, & tetigit eas de ſummitate ſceptri ſui, & exiuit ignis de petra, & deuorauit holocauſtomata & ſacrificia. Et angelus aſcendit ab eo cum flamma ignis: Manue vero, & mulier eius videntes hæc ceciderunt in faciem ſuam, & dixerunt: Morte moriemur, quia vidimus Dominum facie ad faciem. Nō ſufficiebat quod vidi eum. Et adhuc interrogauit nomen eius, neſciens quoniam miniſter Dei eſſet. Angelus autem qui venerat dicebatur Ahadahel. Et factum eſt in tempore dierum ipſorum concepit Eluma, & peperit filium, & vocauit nomen eius Samſon: & erat Dominus cum eo. Et cum cœpiſſet creſcere, & quærere expugnare allophylos, accepit ſibi mulierem de allophylis. Quam incenderunt allophyli in igne, quoniam humiliati erant de Samſon valde. Et poſtea iratus eſt Samſon in Azotum, & incluſerunt, & circuierunt ciuitatem, & dixerunt: Ecce nunc traditus eſt inimicus noſter in manus noſtras, & nunc congregemus, & adiuuemus alterutrum animas noſtras. Et cum ſurrexiſſet Samſon noctu, & vidiſſet ciuitatem clauſam, dixit: Ecce nunc pulices iſti

incluſerunt me in ciuitate ſua. Et nunc erit dominus mecum, & egrediens per portas eorum expugnabo eos. Et veniens ſuppoſuit ſiniſtram manum ſuam ſub plectro portæ, & concutiens depoſuit portam muri, vnam earum tenebat in dextera ſua pro ſcuto, alteram poſuit ſuper ſcapulas ſuas, & auferens, quoniam non habebat gladium, perſequebatur in ea allophylos, & interfecit in ea vigintiquinque millia virorum. Et leuauit omnia quæ erant portæ, & poſuit ea in montem. De leone autem quem interfecit, & de maxilla aſini in qua occidit allophylos, & de vinculis velut ſponte diruptis de brachiis eius, & vulpibus, quas apprehendit, nonne hæc ſcripta ſunt in libro Iudicum? Tunc deſcendit Samſon in Geraram ciuitatem allophylorum, & vidit ibi fornicariam, cui nomen erat Dalila, & ſeductus eſt poſt eam, & accepit eam ſibi in vxorem. Et dixit Deus: Ecce nunc Samſon ſeductus eſt per oculos ſuos, & immemor fuit virtutis quam feci cum eo, & commixtus eſt filiabus allophylorum, & non intendit in Ioſeph puerũ meum, qui fuit in terra aliena, & factus eſt in coronam fratrum ſuorum, eo quod noluerit contriſtare ſemen ſuum. Et nunc erit Samſon concupiſcentia ſua in ſcandalum, & commixtio eius in perditionem, & tradam eum inimicis eius, & cæcabunt eum: ſed in hora mortis eius memorabor illius, & adhuc ſemel vindicabo eum in allophylos. Et poſt hæc mulier eius cum importuna eſſet illi, dicebat ad eum: Indica mihi potentiam tuam, & in quo ſit virtus tua, & ſic cognoſcam quoniam amas me. Et cum feſelliſſet eam Samſon ter, & illa importuna ei eſſet quotidie, manifeſtauit ei quarto cor ſuum. Et inebriauit eum illa, & ſoporato illo vocauit tonſorem, & totondit ſeptem crines capitis, & receſſit virtus eius ab eo, quoniam ſic & ipſe annuntiauerat. Et vocauit allophylos, & percuſſerunt Samſon, & excæcauerũt eum, & miſerunt illum in carcerem. Et factum eſt in die potationis eorum, vocauerunt Samſon, vt illuderent eum. Et ille ligatus iuxta duas columnas orauit, dicens: Domine Deus patrum meorũ exaudi me adhuc ſemel, & conforta me, vt moriar cum allophylis iſtis, quoniam viſus quem iſti ſuſtulerunt mihi, gratis mihi datus eſt a te. Et adiecit dicens Samſon: Proficiſcere anima mea, & noli contriſtari: morere corpus, & noli lugere te. Et apprehendit duas columnas domus, & iactauit eas, & cecidit domus, & omnia quæ circa eam erant, & interfecit omnes qui in circuitu eius erant. Et fuit numerus eorum quadraginta millia virorum ac mulierum. Et deſcenderunt fratres Samſon, & omnis domus patris eius, & accipientes ſepelierunt eum in ſepulchro patris eius. Ipſe autem iudicauit Iſrael XX. annis. Et in diebus illis non erat dux in Iſrael, ſed faciebat vnuſquiſq; quæ placita erant ante conſpectum eorum. Et in illo tempore ſurrexit Michas filius Dedila, matris Helius, & habebat mille

drachmas auri, & quatuor tegulas conflatiles auri, & XL. didrachmas argẽti. Et dixit ad eũ mater eius Dedila: Audi fili vocem meã, & facies tibi nomen ante mortẽ: Accipe aurũ iſtud, & conflaillud, & facies tibi idola, & erunt tibi in deos, & tu fiere eis ſacerdos. Et erit qui voluerit interrogare per eos qui veniet ad te, & reſpõdebis ei Et erit in domo ara, & colũna ædificata ex auro iſto quod habes. cõparabis tibi thus in incenſum, & oues in ſacrificiũ. Et erit quicunq; voluerit facere ſacrificium, dabit pro ouibus ſeptẽ didrachmas, & pro thure ſi voluerit incendere, dabit didrachmã vnam argenti & ponderis, & ſacerdos nomen tuum erit, & diceris cultor deorũ. Et dixit ad eam Michas: Bene mater conſiliata es mihi vt viuam, & nunc erit nomen tuũ plus quam meum, & in nouiſſimis diebus omnia a te exquirentur. Et profectus eſt Michas, & fecit omnia quæcunque præceperat ei mater ſua. Et excluſit, & fecit ſibi effigies tres puerorum, & vitulorum, & leonem, aquilam, & draconem, & columbam Et factum eſt, vt omnes qui ſeducebantur, venirent ad eum, vt ſi quid voluiſſent pro vxore interrogare, per columbam interrogarent eum. Si quis autem pro filiis, per effigies puerorum. Qui vero pro diuitiis per ſpeciem aquilæ. Qui pro fortitudine, per leonis effigiem conſulebant eum. Si autem pro pueris, eis pro puellis per effigies vitulorum interrogabant: nam ſi pro longitudine dierum, per draconis effigiem interrogabatur. Et erat iniquitas eius multiformis, & irreligioſitas eius aſtuta. Et nunc recedentibus filiis Iſrael a Domino, dixit Dominus: Ecce eradicabo terram, & perdam totum genus hominum, quoniam cum ponerem excelſa in monte Sina, oſtendi me filiis Iſrael in procella, & dixi, vt non facerent idola, & conſenſerunt vt non ſculperent effigies deorũ. Et conſtitui his, vt non acciperent nomenmeum in vanum, & elegerunt hoc, ne acciperent ſibi nomẽ meum in vanum. Et præcepi eis, vt cuſtodirent diem ſabbati, & conſenſerunt mihi vt ſanctificarent ſe. Et dixi eis, vt honorificarent patrem & matrem, & promiſerunt facturos ſe. Et conſtitui eis non furari, & conſenſerunt. Et iuſſi eos homicidium nõ facere, & acceptum habuerunt vt non facerent. Et præcepi eis ne mœcharentur, & non negauerunt. Et conſtitui eis, ne falſum teſtimonium dicerent, & ne concupiſcerent vnuſquiſque vxorem proximi ſui, neque domum, nec omnia quæ eius ſunt: & acceptauerunt vt non facerent idola, nec opera deorum eorum, qui nati ſunt de corruptela in appellatione ſculptili. Sed eos per quæ facta ſunt corrupta omnia. Fecerunt enim eam mortales homines, & ignis miniſtrauit in conflatione eorum, ars hominis produxit eos, & manus operatæ ſunt illos, & ſenſus adinuenit eos. Quæ accipientes acceptauerunt nomen meum in vanum, & nomen meum impoſuerunt ſculptilibus, & die ſabbati, quem acceperunt vt cuſtodirent, operati ſunt abominamenta

ab eo.

ab eo. Propter quod dixi eis, vt diligerent patrem & matrem, me inhonorificauerunt creatorem ſuum. Et quod dixi eis, vt non furarentur in ſenſu ſuo, furati ſunt in ſculptilibus. Et quod dixeram, vt non occiderent, occidunt quos ſeducunt. Et cum præcepiſſem eis non mœchari, zelum ſuum mœchati ſunt. Et quod elegerunt ne falſum teſtimonium dicerent, falſum teſtimonium acceperunt ab eis quos exterminauerunt, & concupierunt mulieres alienas. Propterea ecce ego exhorreſco genus hominum, & vt eradicem plaſmata, multiplicabuntur morientes ſuper numerum naſcentium, eo quod vitiata eſt domus Iacob iniquitatibus, & multiplicata eſt impietas Iſrael, & non poſſum ex toto diſperdere de tribu Beniamin: quoniam ipſi primi ſeducti ſunt poſt Micham, & populus Iſrael non erit impunis. Erit autem eis in ſcandalum ſempiternum in memoriam generationis generationū. Micham autem tradam igni. Et erit mater eius in cōſpectu eius marceſcens viua ſuper terrā, & vermes exient de corpore eius. Et tūc loquentibus eis inter ſe adinuicem, dixit illa tanquā mater caſtigans filium ſuū: Ecce quale operatus es peccatū. Et reſpondit ille, tanquam filius obaudiens matri, & aſtute agens, & tu maiorem feciſti iniquitatem. Et erit ſimilitudo columbæ quam fecit ad eiiciendos oculos eius, & ſimilitudo aquilæ erit, vt præſtet illis de pennis, ignem, & effigies puerorum quas fecit, erunt ei ad radenda latera, & effigies leonis quam fecit, erit ei vt fortes ſint torquentes eum. Et ſic non hoc ſolum modo Michæ faciam, ſed omnibus qui peccant in me. Et nunc ſciet genus hominum, quoniam non zelabunt me in adinuentionibus quæ faciunt, ſed omni homini erit illa punitio, vt in quo peccato peccauerit, in eo adiudicabitur. Et ſi mentiti fuerint ante conſpectum meum, mandabo cœlo & mentietur eis pluuiam. Et ſi voluerit vnuſquiſque concupiſcere rem proximi ſui, mandabo morti, & abnegabit eis fructum ventris eorum. Et ſi iudicabunt in nomine meo falſe, ego non exaudiam orationes eorum. Et cum diſcernitur anima a corpore, tunc dicent: Non contriſtemur in his quæ paſſi ſumus, ſed quia quæcunque adinuenimus, hæc & recipiemus. Et factum eſt in tempore illo venit quidam de tribu Leui in Gabaon, & cum vellet manere ibi, occidit ſol. Et volentem ibi ingredi non permiſerunt qui habitabant eam. Et ille dixit puero ſuo: Ambula & duc mulum, & veniemus in ciuitatem Noban, forſitan permittent nos ingredi in eam. Et venit illuc & ſedit in platea ciuitatis, & nullus dixit ei, Ingredere in domum meam. Erat autem ibi quidam Leuites, cui nomen erat Bethac. Hic cum vidiſſet eum, dixit ad illum: Num tu es Beel de tribu mea? et ille dixit: ego ſum. et dixit ad eum: Non ſcis malitiam habitantium in hac ciuitate? Et quis te perſuaſit vt ingredereris huc? Vade feſtinus exi hinc, & ingrederere in domum meam in qua habito, &

mane hodierna die, & Dominus cōcludet cor eorum ante nos, ſicut concluſit Sodomitas ante conſpectum Loth. Et ingreſſus ciuitatem, manſit ibi nocte illa. Et conuenerunt omnes inhabitantes ciuitatem, & dixerunt Bethac: Produc qui venerunt ad te hodie. ſi quo minus, & te & illos igni cremabimus. Et ille exiuit ad eos, & dixit illis: Nonne fratres noſtri ſunt? ne faciamus mala cum eis, ne peccata noſtra multiplicentur in nos. Et illi reſponderunt: Nunquam factum eſt, vt aduenę imperent inhabitantibus. Et vim facientes ingreſſi ſunt, & abſtraxerunt eum & concubinam eius, & eiecerunt eum foras, & remiſſo viro, vſi ſunt turpiter concubina eius, vſquequo moreretur, quoniam tranſgreſſa fuerat virum ſuum quodam tempore, cum peccaſſet cum Amalechitis, & propterea tradidit eam Dominus Deus in manus peccatorum. Et facto mane exiuit Bethac, & inueniens concubinam ſuam mortuam, impoſuit eam ſuper mulum, & feſtinans exiuit, & venit in Gades, & accipiens corpus eius diuiſit eam, & miſit eam in partes per duodecim tribus, dicens: Hæc mihi facta ſunt in Noba ciuitate. Et ſurrexerunt ſuper me habitantes in ea, vt occiderent me, & acceperunt concubinam meam, incluſo me, illam occiderunt. Et ſi placet hoc ante conſpectum veſtrum, vt taceatis, Dominus autem iudicat. Si autem volueritis vindicare, Dominus adiuuabit vos. et conturbati ſunt omnes viri duodecim tribus, & collecti in Seron, dixerunt vnuſquiſque proximo ſuo: Si facta eſt talis iniquitas in Iſrael, pauſabit Iſrael? & dixit Dominus ad Anteciminum: Vides quemadmodum conturbatus eſt populus inſipiens? In terra in qua debuerant mori quam verſute geſſit Michas, vt in iſtis ſeduceret populum, in columba & aquila, & in effigie hominum & vitulorum, & leonis, & draconis? Et ideo quia non ſunt tunc zelati, propterea ſit eorum conſilium in manu, & conturbabitur cor eorum, vt eum peccatores conſumant quàm iniqua gerentes. Et vt factum eſt mane, conturbati ſunt populi Iſrael, & dixerunt: Aſcendamus & inquiramus peccatū quod factum eſt, vt auferatur iniquitas a nobis. & hæc loquentes dixerunt: Interrogemus primum Dominum, & diſcamus, ſi tradet fratres noſtros in manus noſtras: ſin minus, pauſemus. Et dixit eis Phinees: Offeramus demonſtrationem & veritatem. & reſpondit eis Dominus, dicens: Aſcendite, quoniam tradam eos in manus veſtras. Ipſe autem ſeduxit eos, vt compleret verba ſua. Et aſcenderunt in pugnam, & venerunt in ciuitatem Beniamin, & miſerunt nuntios, dicentes: Mitte nobis viros, qui fecerunt iniquitatem hanc, & parcemus vobis: reddentes vnicuique malitiam ſuam. Et indurauit populus Beniamin cor ſuum, & dixerunt ad populum Iſrael: Quare trademus vobis fratres veſtros? Et ſi parcitis, non pugnabimus contra vos. & exiuit populus Beniamin in obuiā filiis Iſrael, & perſecutus eſt eos. & ceciderūt filii

filii Iſrael in conſpectu eius, & percuſſit in eis quadraginta-quinque millia virorum. Et factum eſt cor populorum conturbatum nimis, & venerunt lugentes, & plorantes in Silo, & dixerunt: Ecce tradidit nos Dominus in conſpectu habitantium in Noba. Et nunc interrogemus Dominum, quis in nobis peccauit. & interrogauerunt Dominum. Et dixit ad eos: Si vultis, aſcendite, & pugnate, & tradentur in manus veſtras, & tunc vobis dicetur propter quod cecidiſtis in conſpectu eorum. Et aſcenderunt alia die expugnare eos, & exierunt filii Beniamin, & perſecuti ſunt Iſrael, & percuſſerunt in eis quadraginta ſex millia virorum. Et diſſolutum eſt cor populorum valde, & dixerunt: Nunquid voluit Deus ſeducere populum ſuum? Aut nunquid ita conſtituit propter id quod factum eſt malum, vt æqualiter cadant, qui faciunt iniqua? Et hæc dicentes, ceciderūt in conſpectu arcæ teſtamenti Domini, & ruperunt veſtimenta ſua, & impoſuerunt cinerem ſuper capita ſua, ipſi & Phinees filius Eleazari ſacerdotis, qui orauit & dixit: Quæ eſt ſeductio hæc, qua ſeduxiſti nos Domine? Si iuſtum eſt ante conſpectum tuum quæ fecerunt filii Beniamin, quare nobis non renuntiaſti, vt incenderemus? Si autem non erat placitum in conſpectu tuo, quare nos permiſiſti vt caderemus ante eos? Et adiecit dicere Phinees: Deus patrum noſtrorum audi vocem meam, & renuntia ſeruo tuo hodie, ſi recte factum eſt ante conſpectum tuum, aut forte peccauit populus, & voluiſti diſperdere malefacta eorum, vt emendares etiam in nobis qui peccauerunt tibi. Ego enim memor ſum in iuuētute mea, quando peccauit Iābri in diebus Moſis famuli tui, & ingreſſus intraui ego, & zelatus ſū animę meę, & ambos ſuſpendi in rhomphæa mea, & voluerunt inſurgere aduerſum me reſidui, & mortificare me, & miſiſti angelum tuum, & percuſſiſti ex his XXIIII. M. virorum, & me liberaſti de manibus eorum. Et nunc vndecim tribus miſiſti, & adduxiſti eis, dicens: Ite, & percutite eos. Et euntes, traditi ſunt. Et nunc dicunt, quod manifeſtationes tuæ veritatis mentiantur coram te. & nunc Domine Deus patrum noſtrorum, non abſconde a ſeruo tuo, ſed renuntia nobis propter quid feciſti in nos iniquitatem iſtam? Et videns Dominus quoniam attente orauerat Phinees in conſpectu eius, dixit ad eum. Per me iuraui, dicit Dominus, quoniam ſi non iuraſſem, memor tui non fuiſſem, eo quod dixiſti, neque reſpondiſſem vobis hodie. Et nunc dic populo: State, & audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus: Erat quidam leo in media ſylua potentior, cui commendauerunt omnes beſtiæ ſyluam, ſua poteſtate vt eam cuſtodiret ne forte aduenientes cæteræ feræ exterminarent eam. Et cum cuſtodiret hanc leo, aduenerunt feræ agri de alia ſylua, & comederunt omnes catulos ferarum, & exterminauerūt fructum ventris earum: & leo vidit, & tacuit. Et feræ beſtiarum ſecuræ

erant,quoniam commendauerunt leoni ſyluam, non ſentientes quia filii earum exterminati erant. Et poſt tempus, exurrexit minima fera ex his quæ commendauerant leoni ſyluam, & comedit minimum catulum alterius feræ peſſimæ: & ecce leo exclamauit, & conturbauit omnes feras ſyluæ, & pugnauerunt inter ſe, & expugnauerunt vnuſquiſque proximum ſuum. Et cum exterminarentur multæ feræ, vidit alius catulus leonem de alia ſylua tanta,& dixit:Nonne tu exterminaſti feras tantas? Quæ iniquitas hæc? vt cum exterminarentur ab initio tantæ feræ,aut filii earum iniuſte ab aliis feris peſſimis,& quando oportebat moueri feras omnes, vt ſe vindicarent, quando corrumpebatur fructus earum in vano, tunc tacebas, & non loquebaris. Sed vnus catulus nunc periit feræ peſſimæ, & exagitaſti totam ſyluam, vt ſe comederent inuicem omnes feræ iniuſte, & minoretur ſylua.Et nunc te oportet exterminari primum,& ſic conſtitueritis reſidua.Et audierunt catuli ferarum,& interfecerunt leonem primum, & catulum propoſuerunt pro eo, & ſic cæteræ feræ in vnum ſubiectæ ſunt. Michas exurrexit, qui ditauit vos in his quæ commiſit ipſe & mater eius. Et fuerunt iniqua & peſſima, quæ nullus adinuenit ante eos, ſed in verſutia ſua fecit ſculptilia, quæ non ſunt facta vſque in hanc diem, & nullus zelauit, ſed omnes ſeducti eſtis, & vidiſtis fructum ventris veſtri corrumpi, & tacuiſtis ſicut malus ille leo. Et nunc videntes quemadmodum concubina huius iniqua gerens mortua eſt,& conturbati eſtis omnes,& veniſtis ad me,dicentes: Si tradas in manus noſtras filios Beniamin. Propterea vos fefelli, & dixi: Tradam vobis illos. Et nunc diſperdidi eos qui tunc tacuerunt.& ſic vindicabo in omnes qui inique geſſerũt. Et exurrexit omnis populus vnanimiter, & abiit, & exierunt filii Beniamin obuiam eis, æſtimantes vt ſicut antea euicerant eos, & neſciebant quoniam completa erat malitia ſuper eos. Et cum veniſſent ſicut primum, & perſequerentur poſt eos, refugit populus a facie eorum, vt darent locum. Et nunc exurgentes ab inſidiis,facti ſunt filii Beniamin in medio eorum. Et conuerſis his qui refugiebant,interfecti ſunt viri ciuitatis Noba,a viro vſque ad mulierem, LXXXV M. virorum, & incenderunt ciuitatem filii Iſrael, & direpta ſpolia eorum perdiderunt omnia in ore gladii, & nemo ſuperfuit de filiis Beniamin, niſi DC. viri qui fugerunt, & non ſunt inuenti in pugna. Et reuerſus eſt omnis populus in Silo, & Phinees filius Eleazari ſacerdotis cum eis.Hi autem ſunt qui derelicti ſunt de genere Beniamin, principes tribus decem patriarum, quorum nomina hæc ſunt. Primæ patriæ,Ezbaile, Ziebbalac, Reindebac, Belloch. Et ſecundæ patriæ, Netach,Zenip,Phenoch, Deniech, Goreſaraz. Et tertiæ patriæ,Ierimuth,Veloth,Amibel, Genuth, Nephuth, Phienna. Et ex quarta ciuitate, Gemuph, & Eliel, Gemet, Soleph, Raphaph,

phaph, & Dopho. Et de quinta patria, Annuel, Code, Fretam, Remmon, Peccam, Nabath. Et de ſexta patria, Rephaz, Sèphet, Araphaz, Metach, Adhoc, Balmoc. Et de ſeptima patria, Beninmephiz, Araph, Ruimel, Belon, Iaal, Abac. Et de decima patria, Enophlaſa, Melec, Meturia, Meac, & cæteri qui ſuperfuerunt principes tribus numero LX. Et in illo tempore reddidit dominus Michæ, & matri eius omnia quæ locutus eſt. Et erat Micha diſſolutus igne, & mater eius marceſcens, ſicut loquutus fuerat Dominus de eis. Et in tempore eo Phinees reclinauit ſe vt moreretur. & dixit ad eum Dominus: Ecce tranſiſti CXX. annos, qui conſtituti erant omni homini, & nunc exurge, & vade hinc, & habita in Danabem in monte, & inhabita ibi annis plurimis. Et mandabo aquilæ meæ: & nutriet te ibi, & non deſcendes ad homines iam, quouſque ſuperueniat tempus, & probeteris in tempore, & tu claudes cælum tunc, & in ore tuo aperietur, & poſtea eleuaberis in locum vbi eleuati ſunt priores tui, & eris ibi quouſque memorabor ſeculi, & tunc adducam vos, & guſtabitis quod eſt mortis. Et aſcendit Phinees, & fecit omnia quæ præcepit ei Dominus. In diebus autem quibus conſtituit eum in ſacerdotem, vnxit eum in Selon. Nam in illo tempore cum aſcenderet, tunc factum eſt, vt filii Iſrael facientes paſcha, præceperint filiis Beniamin, dicentes: Aſcendite, & expugnate vobis mulieres, quoniam non poterimus vobis dare filias noſtras. Iurauimus enim in tempore iræ noſtræ, & non fiat vt deleatur vna tribus de Iſrael. Et aſcēderūt filii Beniamin & rapuerunt ſibi mulieres, & ædificauerunt ſibi Gabaon, & cœperunt inhabitare ibi. Et quieſcentibus interim filiis Iſrael, dux non erat eis in diebus illis: & vnuſquiſque faciebat quod placitum erat ante oculos eius. Hæc ſunt mandata, & iuſtitiæ, & teſtimonia, & manifeſtationes factæ in diebus Iudicum Iſrael antequam regnaret in eis rex. Et in tempore illo cœperūt filii Iſrael requirere a Domino, & dixerunt: Sortiamur omnes nos, vt videamus qui ſit qui poſſit principari nobis ſicut Cenez. Forſitan enim inueniemus hominem, qui liberet nos de preſſura noſtra, quia inconueniens eſt, populum eſſe ſine principe. Et miſerunt ſortem, & nullo inuento triſtati ſunt populi valde, & dixerunt: Non fuit dignus populus exaudiri de domino, quia non reſpōdit nobis. Et nūc ſortiamur vel per tribus, ſi vel per multitudinem reconcilietur Deus. Sciemus enim quia reconciliabitur dignis ſuis. Et miſerunt per tribus, & in nulla tribu exiuit ſors. Et dixit Iſrael: eligamus nobis ex ipſis poſiti in neceſſitate. Sciemus enim quoniam abominauit Deus populum ſuum, & exhorruit nos anima eius. Et reſpondit quidam nomine Nethez, & dixit populo: Non ipſe nos odio habet, ſed ipſi nos exoſos fecimus, vt relinqueret nos Deus. Et ideo etiam morientes non relinquamus eum, ſed ad eum fugiamus, qui ambulantes

in viis noſtris iniquis, non ſciuimus eum qui creauit nos, & propterea erit noſter cogitatus in vano. Scio enim quia non in fine nos abiiciet Deus, neque in generatione odietur populũ ſuum, & ideo virtutificamini, & adhuc oremus & mittamus ſortem per ciuitates, ſi enim peccata noſtra amplificata ſunt, ſed longanimitas eius non deficiet. Et miſerunt ſortes per ciuitates, & ſortitus eſt Armathem. Et dixit populus: Si iuſtificata eſt Armathem præ omnibus ciuitatibus Iſrael, quoniam ſic eã elegit ſuper omnes ciuitates? Et dixit vnuſquiſq; ad proximum ſuum: In ipſa ciuitate, quæ exiuit per ſortem, per viros mittamus ſortem, & videamus quem ex ea elegit Dominus. Et miſerunt per viros, & neminem comprehendit præter Elchanam: Quia in eos ſuperuolauit ſors, & accepit populus eũ, & dixerunt: Veni, & eſto nobis dux. Et dixit Elchana ad populum: ego non poſſum dux eſſe ſuper populum iſtum, nec exiſtimare quis poſſit eſſe nobis in ducem. Sed ſi peccata mea comprehenderunt me, vt ſuperuolaret ſuper me ſors, ego me interficiam, vt non me cõtaminetis. Iuſtum eſt enim me pro peccatis meis tantummodo mori, quam ſuſtinere pondus populi. Et videns populus quod non eſſet voluntas Elchana vt ducatum ageret ſuper eum, orauit iterum ad Dominum, dicens: Domine Deus Iſrael, quare in victoria inimicorum dereliquiſti populum tuum, & in tempore anguſtiæ neglexiſti hæreditatem tuam? Ecce & ipſe qui comprehenſus eſt in ſorte, non perfecit mandata tua, ſed ſolum hoc eſt quod ſuperuolauit ſuper illum ſors, & putauimus nos habere ducem. Et ecce etiam ipſe factus eſt in ſorte, ſi non repugnaret. Quem adhuc poſtulabimus, aut ad quem fugiemus, & vbi eſt locus requietionis noſtræ? Si enim veræ ſunt diſpoſitiones quas diſpoſuiſti patribus noſtris, dicens: Semen veſtrum amplificabo, & hoc ſcient, tunc profuerat nobis dicere, abſcido veſtrum ſemen, quam negligas radicem noſtram. Et dixit ad eos Deus: Si redderem ſecundum mala veſtra, oportuerat me nec intendere ad genus veſtrum. Et quid faciam? quoniam veniet nomen meum vt inuocetur in vos, & ſcitote, quia Elchana ſuper quem cecidit ſors, non poteſt principari in vobis, ſed magis filius eius qui naſcetur ex eo, ipſe principabitur in vobis, & prophetabit, & ex hoc non deficiet ex vobis princeps plurimis annis vſque ad annos multos. Et dixit populus: ecce Domine decem filios habet Elchana, & quis eorum principabitur aut prophetabit? Et dixit Deus, Nullus de filiis Phenennæ poterit principari populo, ſed natus de ſterili quam dedi ei in vxorem, ipſe erit Propheta in conſpectu meo, & diligam eum quemadmodum dilexi Iſaac, & erit nomen eius in conſpectu meo ſemper. Et dixit populus: ecce nunc forſitan memor fuit noſtri Deus, vt liberet nos de manu odientium. Et in illa die fecerunt ſacrificia pacifica, & epulati ſunt in diſpoſitionibus ſuis. Et cum eſſent

Elchanæ

Elchanæ duæ mulieres,nomen vni Anna, & nomẽ alteræ Phenenna. Et quia Phenennæ erant filii, & Annæ non erant,improperauit ei Phenenna dicens: Quid tibi prodeſt quod te diligit Elchana vir tuus, tu vero es lignum ſiccum? Et ego ſcio quia dilecturus eſt me, delectatus in conſpectu filiorum meorum,aſtantium in circuitu eius, tanquam plantatio oliueti. Et ſic cum quotidie improperaret ei,& Anna contriſtaretur valde, & eſſet timens Deum a iuuentute ſua, factum eſt vt ſuperueniente die bono paſchæ, cum aſcenderet vir eius vt ſacrificaret, inſultat Phenenna Annæ dicens:Non eſt dilectio mulieris,ſi diligat eam vir eius, aut pulchritudinem illius. Ne glorietur in ſpecie ſua Anna, ſed qui gloriatur, glorietur cum videt ſemen ſuum ante conſpectum ſuum,& quando inter mulieres non ita fuerit fructus ventris eius, in vanum fiet dilectio. Quid enim profuit Rachel, quod dilexit eam Iacob? Et niſi datus fuiſſet ei fructus ventris illius in vanum fuerat dilectio eius. Et cum audiſſet hæc Anna, diſſoluta eſt anima eius, & confuſa eſt lachrymis. Et vidit eam vir eius,& dixit: Quare triſtis es,& quare non es? & vt quid concidit cor tuum in te? Nonne meliores ſunt mores tui ſuper decem filios Phenennæ? Et audiuit eum Anna, & ſurrexit poſtea quam comedit, & venit in Silo in domum Domini, vbi Heli ſacerdos ſedebat, quem propoſuerat Phinees filius Eleazari ſacerdotis, ſicut præceptum ei fuerat. Et orauit Anna,& dixit: Nonne tu Domine inſpeculatus es cor omnium generationum antequam plaſmares ſeculum? Quæ autem metra apetta naſcitur,aut quæ cluſa moritur,niſi volueris? Et nunc aſcendat oratio mea in conſpectu tuo hodie, ne deſcendam inde vacua: quoniam tu ſcis cor meum quomodo ambulaui in conſpectu tuo ex die iuuentutis meæ. Et noluit Anna orare clara voce,ſicut omnes homines. Tunc enim cogitauit dicens: Ne forte non ſim digna exaudiri & erit vt plus me zelans improperet mihi Phenenna, ſicut quotidie dicit: Vbi eſt Deus tuus in quo confidis? Et ego ſcio quia non quæ in filiis multiplicatur ditata eſt, quæque minorata eſt eguit, ſed quæ abundat, ditata eſt & in voluntate Dei. Nam qui ſcierint quod oraui, ſi cognouerint quod non exaudior in oratione mea,blaſphemabunt. Et non ſoli mihi erit teſtis in anima mea, quia miniſtræ ſunt orationum mearum lachrymæ meæ.Et dum oraret, videns eam, Heli ſacerdos quoniam anxiaretur ſenſu, & velut ebria ageret, dixit ad illam:Vade,& aufer vinum tuum aræ.Et illa dixit:Si ſit in me exaudita eſt oratio mea, vt ebrie audiam. ego autem ebria ſum dolore,& calicem bibi fletus mei. Et dixit ad eam Heli ſacerdos: Renuntia mihi improperium tuum. Et illa dixit ad eum: Mulier ſum Elchanæ, & quoniam concludens concluſit Deus metram meam, oraui in conſpectu eius, vt non eam ad eum ſine fructu de ſeculo hoc, & non moriar non habens ima

ginem meam. Et dixit ad eam Heli ſacerdos: Ambula, quoniam ſcis pro quibus oraueris, exaudita eſt oratio tua. Noluit autem ei dicere Heli ſacerdos quis prænumeratus eſt ex ea Propheta: Ipſe enim audiuit: cum dixit Dominus pro eo. Et venit Anna in domum ſuam, & mitificata eſt a dolore ſuo, nulli renuntians hoc quod oraſſet. Et in tempore dierum illorum concipiens peperit filium, & vocauit nomen eius Samuel, quod interpretatur fortis, ſecundum quod vocauit Deus nomen illius cum prophetaret eum. Et ſedit Anna, & lactauit infantem quouſque fieret duorum annorum Et cum abſtuliſſet eum de lacte aſcendit cum eo leuans munera in manibus ſuis, & erat puer ſpecioſus valde, & Dominus erat cum eo. Et ſtatuit Anna puerum ante conſpectum Heli, & dixit ad eum: Hoc eſt deſiderium quod deſideraui, & hæc eſt petitio quam petiui. Et dixit ad eam Heli: Non tu ſola petiſti, ſed populus orauit pro hoc. Non eſt petitio tuæ ſolius, ſed in tribus antea promiſſum erat, & per hunc iuſtificata eſt metra tua, vt ſtatuas prophetiam populis, & lac mamillarum tuarum conſtituas in fontem duodecim tribuum. Et audiens hæc orauit Anna, & dixit: Venite in voce mea omnes gentes, & intendite alloquutioni meæ omnia regna, quoniam apertum eſt mihi os vt loquar, & labiis præceptum eſt vt hymnizem Domino, ſtillate mamillæ meæ, & renuntiate teſtimonia veſtræ, quia præceptum eſt vobis lactare. Statuetur enim enim qui lactatur de vobis, & populus illuminabitur, aceruus eius & gentibus oſtendet terminos, & exaltabitur cornu eius valde. Et ideo loquar aperte verba mea, quoniam ex me exurget conſtitutio Domini, & omnes homines inuenient veritatem. Nolite feſtinare magna eloqui, nec eiicere de ore veſtro verba alia, ſed delectamini in gloriationem: dum enim exiet lumen ex quo naſcetur ſapientia, vt non qui poſſident plurima, dicantur diuites, ſed quæ pepererunt in abundantia matres, audirent: ſterilis enim ſaturata eſt, quæ autem multiplicata fuerat in filiis, euacuata eſt, quia Dominus mortificat in iudicio, & viuificat in miſericordia: quoniam iniqui ſunt in hoc ſeculo, viuificat iuſtos cum vult, iniquos autem concludet in tenebris. Nam iuſtis conſeruat lumen ſuum, & cum mortui fuerint iniqui, tunc peribunt, & cum dormierint iuſti, tunc liberabuntur. Sic autem omne iudicium permanet, quouſque reueletur qui tenet. Dicito, dicito Anna, & noli tacere. Hymniza filia Batuel, in mirabilibus tuis quæ fecit Deus tecum. Quæ eſt Anna, quoniam ex ea Propheta eſt? Aut quæ eſt filia Batuel, vt pareret lumen populis? Exurge & tu Elchana, & præcinge lumbos tuos. Hymniza ſuper ſigna domini, quoniam pro filio tuo prophetauit Aſaph in eremo dicens: Moſes & Aaron in ſacerdotibus eius, & Samuel inter eos. Ecce perfectum eſt verbum, & conuenit prophetia. Et hæc ſi manent quouſque dent cornu Chriſto ſuo,

& adhæſit

& adhæſit potentia thronis regis eius. Stet autem filius meus hic miniſtrans, quouſque fiat lumen genti huic. Et abierunt inde, & profecti ſunt cum iucunditate, gaudentes & exultantes corde in omnem gloriam quam fecit cum eis Deus. Populus autem deſcendit vnanimiter in Silo cum tympanis & choris, cyneris & nablis, & venerunt ad Heli ſacerdotem offerentes ei Samuel. Quem ſtatuerunt ante conſpectum Domini, vnxerunt eum, & dixerunt, Viuat propheta in plebe, & in longo tempore ſit lumen genti huic. Samuel autem erat infans valde, & nihil horum ſciebat. Et cum deſeruiret in conſpectu Domini, & duo filii Heli ambulantes in viis patrum ſuorum, cœperunt iniqua agere ad plebem, multiplicantes iniquitates ſuas. Et erant commorantes iuxta domum Bethac & cum conuenirent populi ſacrificare, veniebant Ophni & Phinees, & ad iracundiam prouocabant populum, rapientes ſanctificata, antequam offerrentur ſancta Domino. Et nō placuit verbū hoc Domino, neq; populo neq; patri eorum. Et ſic dixit pater eorū ad eos: Quæ eſt auditio hæc, quam ego audio de vobis? Aut non ſcitis quoniam depoſitum de Phinees locum accepi? Et ſi exteramus acceptum, quid dicemus ſi iterum inquirat qui depoſuit eum, & pro eo quod depoſuit nocuerit nos? Et nunc dirigite vias veſtras, & ambulate in viis bonis, & permanebunt actus veſtri. Si autem contradixeritis, & adinuentiones veſtras peſſimas non continueritis, vos ipſos perditis, & erit in vanum ſacerdotium, & in nihilum deputabitur quod ſanctificatum eſt, & tunc dicent: in vano orta eſt virga Aaron, aut in nihilum deſcendit natus flos illius. Et ideo cum poteſtis adhuc filii corrigite quod peccaſtis, & orabūt pro vobis viri in quo peccaſtis. Si autem nolueritis, & permanſeritis in iniquitatibus veſtris, ego immunis ero, & non tantummodo dolebo, ne forſitan audiam diem mortis veſtræ antequam moriar, ſed & ſi hoc factum fuerit, vocabo culpam, & quamuis contriſter ego, vos tamen peribitis. Et non obaudierunt filii eius, quoniam Dominus de eis dederat ſententiam vt morerentur, propter quod peccauerant. Nam cum dixiſſet eis: Pœnitemini de via veſtra iniqua, Illi dicebant: Quando ſenuerimus, tunc pœnitebimus. Et propter hoc admonitis a patre ſuo non datū eſt vt pœniterent. quia aduerſantes ſemper fuerāt, & iniuſte egerāt valde, diripientes Iſrael. Indignatus eſt Dominus ad Heli. Et Samuel erat deſeruiens in cōſpectu Domini, neſciēs adhuc quid eſſent eloquia Domini, necdū enim audierat eloquiū Domini, erat enim annorū octo. Et cū memoraretur Deus Iſrael, voluit reuelare Samueli ſermones ſuos, & Samuel erat dormiens in tēplo domini. Et factū eſt cū clamaret Deus ad eū, cogitauit primo, dicens: Ecce nūc Samuel iuuenis vt ſit dilectus in cōſpectu meo, tamen quia adhuc vocem Domini non audierit, neque loquutionem altiſſimi non eſt ſolidatus: tamē ſimilis

eſt Moſi famulo meo octogenario. Locutus ſum Samuel, octo annorum eſt, & Moſes vidit ignem in primis, & expauit cor eius. Et ſi viderit ignem Samuel modo, quemadmodum ſuſtinebit? & ideo nunc erit vox ad eum tanquam hominis, & non tãquam Dei, & cum intellexerit, tunc loquar ad eum tanquam Deus. Et in media nocte vocauit eum vox de cælo: & expergefactus Samuel, cognouit velut vocem ſacerdotis Heli, & cucurrit ad eum & dixit dicens: Quare me excitaſti pater? ego enim timui, quoniam nunquam me clamaueras noctu. Et dixit Heli: Heu me, nunquid ſpiritus immundus ſeduxit filium meum Samuel? & dixit ad eum: Vade dormi, ego enim non clamaui tibi. Tamen hoc mihi dic, ſi memor es, quoties qui vocauit te clamauit? Et ille dixit: bis. Et dixit ad eum Heli: Dicito cuius vocẽ cognouiſti fili mi? Qui dixit. tuam. propterea cucurri ad te. In te video hoc ſignum quod habebunt homines ab hodierna die, & vſque in ſeculum, quoniam ſi clamauerit bis alter ad alterum per noctem vel in meridie, ſcient quoniam ſpiritus peſſimus eſt. Si autem adiiciat ter clamare, ſciam quia angelus eſt. Et abiit Samuel & dormiuit, & audiuit ſecũdo vocem de cœlo, & exurgens cucurrit ad Heli, & dixit ad eum: Quid me clamauit, quoniam audiui vocem patris mei Elchanæ? Et tunc intellexit Heli, quod inciperet Deus vocare eum. Dixit enim Heli: In duabus vocibus quibus clamauit ad te Deus, aſſimilatus eſt patri, & magiſtro, nunc autem tertio Deo. Et dixit ad eum, Aure tua dextra intende, ſiniſtra tace. Phinees enim ſacerdos præcepit nobis dicens. Auris dextra audit Dominum per noctem, ſiniſtra autem angelum. Et ideo ſi in dextra audieris, dicito: dic quid vis, quoniam audio, tu enim me plaſmaſti. Si autem in ſiniſtra audieris, veni & annuntia mihi. Et abiit Samuel, & dormiuit ſicut præceperat ei Heli. Et adiecit Dominus tertio loqui, & repleta eſt Samueli dextra auris. Et vt ſciuit quoniam patris ſui eloquutio deſcenderat, conuerſus Samuel in alio latere, dixit: Si poſſibilis ſum, loquere, quoniam tu plus de me noſti. Et dixit ad eum Deus: Illuminans illuminaui domum Iſrael in Ægppto, & elegi tunc mihi Prophetam Moſen famulum meum, & feci per eum prodigia populo meo, & vindicaui de inimicis meis, ſicuti volebam, & adduxi populum meum in eremum, & illuminaui eos ſicuti viderunt. Et cum exurrexiſſet tribus contra tribum, dicentes: Quare ſacerdotes ſoli ſancti ſunt? ego nolui diſperdere eos, & dixi ad eos; Date vnuſquiſque virgam ſuam, & erit cuius virga floruerit, ipſum elegi in ſacerdotium. Et cum omnes dediſſent virgas ſicut præceperam, tunc præcepi tertiæ tabernaculi, vt floreret virga Aaron, vt manifeſtaretur genus eius omnibus diebus. Et nunc qui floruerunt abominauerunt ſancta mea. propterea ecce dies venient, & compeſcam eos qui tunc nati fuerant, & obuiabo eis, quia tranſgrediuntur verbum quod mandaui

mandaui Moſi famulo meo, dicens: Si inueneris nidum, non accipies matrem cum filiis, ideo continget eis vt matres cum filiis moriantur, & patres cum filiis pereant. Et cum audiuit Samuel verba hæc diſſolutum eſt cor eius, & dixit: Si ſic obuiauerit iuuentuti meæ, vt prophetizem a perditione nutritoris mei, & nunc quomodo datus ſum in petitione matri meæ? Et quis me ſuſcepit? Quomodo mihi præcepit vt euangelizem mala? Et exurrexit Samuel mane, & noluit renuntiare Heli. Et dixit Heli ad eum: Audi nunc fili, Ecce Deus antequam naſceretis promiſit in Iſrael vt mitteret te eis, & prophetares. & tunc adueniente matre tua & orante, quia ignorabat quod factum fuerat, dixi ad eam: proficiſcere, quia quod naſcetur ex te filius erit mihi. Sic dixi matri tuæ, & ſic direxit dominus viam tuam, & ſi caſtiges nutritorem tuum, viuit dominus, ne abſcondas a me quæ audiſti. tunc timuit Samuel, & renuntiauit ei omnia verba quæ audiuit. Et ille dixit: Si reſpondebit plaſma ei qui eum plaſmauit, ita vt non potero reſpondere cum voluerit afferre quæ tradidit fidelis dator ſanctus qui prophetauit: Ego enim ſub poteſtate eius ſum. Et illis diebus allophyli collegerunt caſtra ſua, vt expugnarent Iſrael, & exierunt filii Iſrael pugnare cum eis: Et perſecutionem paſſi populus Iſrael in congreſſu primo dixerunt, Leuemus arcam teſtamenti Domini, & forſitan pugnat nobiſcum, quoniam in ea ſunt teſtimonia domini, quæ diſpoſuit patribus noſtris in Oreb. Et aſcendens arca cum eis, cum aduenisset in caſtra, intonuit Dominus, & dixit: Erit ſimilitudo horæ huius, ſicuti facta eſt in eremo, quando acceperunt arcam ſine præcepto meo, & factum eſt eis exitium, Sic & in iſta hora cadet populus, & arca capietur vt finiam inimicos populi mei propter arcam, & corripiam plebes meas propter quod peccauerunt. Et cum veniſſet arca in pugnam, exierunt allophyli in obuiam filiis Iſrael, & percuſſerunt eos. Et erat ibi Golia quidam allophylus, & venit vſque ad arcam Ophni & Phinees filii Heli, & Saul filius Cis. Et apprehendens Golia de manu ſua ſiniſtra interfecit Ophni & Phinees. Saul autem quia leuis pedibus erat, fugit a facie eius, & diſrumpens veſtimenta ſua, impoſuit cinerem in caput ſuum: Et venit ad Heli ſacerdotem & dixit ad eum Heli: Renuntia mihi quid euenit in caſtris? Et dixit ad eum Saul. Quid me interrogas hæc? quia populus oppreſſus eſt, & Deus recepit Iſrael. Sed & ſacerdotes interfecti ſunt in rhomphæa, & arca tradita eſt allophylis. Sed cum audiſſet Heli de captiuitate arcæ, dixit: Ecce de filiis meis, & de me prophetauit Samuel, vt moriamur ſimul, arcam autē tunc non nominauit mihi. Et nūc tradita ſunt teſtimonia inimicis. Quid adhuc poſſum dicere? Ecce perit Iſrael de veritate, eo quo ablatæ ſunt iuſtitiæ ab eo. & cum deſperaſſet Heli valde, cecidit de ſella, & mortui ſunt in die vna Heli, & Ophni & Phinees fili

eius. Et mulier Heli ſedebat pariens, quæ audiuit hæc reſoluta ſunt omnia viſcera eius. Et dixit ad eam obſtetrix: Reſume, & non diſſoluatur anima tua quoniam natus eſt tibi filius. Et dixit ad eam mulier: ecce nunc vna anima nata eſt, & quatuor moriamur, id eſt pater, & duo filii, & nurus eius. Et vocauit nomen eius, vbi eſt gloria, dicens: Periit gloria Dei in Iſrael, quoniam captiuata eſt arca domini. Et cum dixiſſet hæc emiſit animam. Samuel autem in his omnibus neſciebat, quoniam ante triduum pugnæ miſerat eum Deus, dicens ad illum: Vade, & inſpice locum Aromathæ, vbi erit habitatio tua. Et audiens Samuel quæ contigerant Iſrael, venit, & orauit dominum dicens: Ecce nunc in vano ignoratur mihi intellectus, vt viderem exercitum populi mei, & nunc timeo, ne forte dies mei in malis veteraſcant, & anni mei finiantur in dolore. Vbi enim arca Domini non eſt mecum, quid adhuc mihi viuere? Et dixit Dominus ad eum: Noli triſtis eſſe Samuel, quia ablata eſt arca, reducam eam, & qui abſtulerunt eam euertam, & vindicabo plebem meam de inimicis meis. & dixit Samuel: ecce etiamſi vindicas ſecundum longanimitatem tuam, nos tamen qui nũc morimur quid faciemus? Et dixit ad eum Deus: Antequam moriaris videbis conſummationem, quam adducam ſuper inimicos meos, in quibus perient allophyli extincti in ſcorpionibus & omnibus reptilibus peſſimis. Et cum captiuatam arcam domini allophyli poſuiſſent in templum Dagon dei ſui, & cum veniſſent interrogare Dagon de exitu ſuo, inuenerunt eum cecidiſſe in faciem, & manus eius ac pedes ante arcam poſitos. Et exierunt in primo mane crucifigentes ſacerdotes eius. Et alia die venientes, inuenerunt ſicut heſterna die, & multiplicabatur perditio in eis valde. Congregati ſunt allophyli in Acharon, & dixerunt ſinguli ad proximum ſuum: Ecce nunc videmus, quoniam perditio amplificata eſt in nobis, & periet fructus ventris noſtri, quoniam repentia quæ miſſa ſunt in nos, exterminabunt in vtero habentes ſiue ſugentes, & eas quæ lactant. Et dixerunt: Videamus propter quid manus domini conualuit ſuper nos, nunquid pro arca, quoniam inuenitur quotidie deus noſter cadens in faciem ante conſpectum arcæ, & ſacerdotes in vanum perdidimus ſemel & iterum. Et dixerunt ſapientes allophylorum: ecce nunc de hoc ſcire poſſumus, ſi Dominus miſit in nos perditionem propter arcam ſuam, aut conueniens dominatio ſuperuenit nobis. Et nunc quia moriuntur omnes prægnantes & lactentes, & quæ lactant ſine filiis efficientur, & qui lactentur pereunt, accipiamus & nos vaccas quæ lactant, & iungamus in currum nouum, & arcam ponamus in eo, & filios vaccarum includamus. Et erit ſi vaccæ proficiſcendo profectæ fuerint, ita vt non ſe conuertant ad filios ſuos, ſciemus quoniam propter arcam hæc paſſi ſumus: Si autem noluerint proficiſci, deſiderantes filios

filios ſuos ſciemus quoniam tempus ruinæ venit nobis. Et reſponderunt quidam de ſapientibus & diuinis: Non hoc tantum tempus, ſed initio trium viarum quæ ſunt circa Acharon ponamus vaccas. Media enim via dirigite Acharon, & dextra in Iudæam, & ſi ſiniſtram viam proficiſcentes in Iudæam, ſciemus quoniam vere Deus Iudæorum exterminabit nos. Si autem per illas alias proficiſcantur, ſciemus quoniam validum nobis tempus accidit, vt nunc deos noſtros negauimus. Et acceperunt allophyli vaccas quæ lactabant, & iunxerunt in currum nouum, & arcam impoſuerunt in eo, & ſtatuerunt in initio trium viarum, & filios earum incluſerunt apud ſe. Vaccæ autem quamuis mugerēt, & quærerēt filios ſuos, tamen proficiſcebantur in dexteram viam, quæ dirigit in Iudæam. Et tunc ſcierunt quoniam pro arca exterminabanturc. & congregati ſunt omnes allophyli, & reduxerunt arcam in Silo, cum tympanis, & tibiis, & choris. Et pro repentibus peſſimis quæ exterminauerunt eos, fecerunt ſedilia aurea, & ſanctificauerunt arcam. Et factum eſt in ea exterminatio allophylorum, numerus earum quæ in vtero habētes mortuæ ſunt LXXV M. & lactentes LXV M. & earum quæ lactabant LV M. & virorum XXV M. Et quieuit terra ſeptem annis. Et in tempore illo concupierunt filii Iſrael petentes regem, & congregati ſunt ad Samuel, & dixerunt: Ecce nunc tu ſenuiſti, & filii tui non ambulant in viis Domini, & nunc cōſtitue ſuper nos regem qui nos diiudicet, quoniam completum eſt verbum quod dixit Moſes patribus noſtris in eremo, dicens: Conſtituendo conſtitue de fratribus tuis ſuper nos principem. Et cum audiſſet Samuel verba regni, contriſtatus eſt valde in corde ſuo, & dixit: Ecce nunc video, quoniam non eſt adhuc tempus regnandi nobis in ſempiterno, & ædificare domum Domini Dei noſtri, petentibus regem ante tempus. Quod ſi totum voluerit Dominus, videtur mihi quoniam rex non diſponitur. Et dixit ad eum Dominus noctu: Noli contriſtari, mittam enim regem illis qui eos exterminabit, & ipſe poſtea exterminabitur. Qui autem venturus eſt ad te craſtino die, hora ſexta, ipſe eſt qui regnaturus eſt ſuper eos. Et alia die Saul filius Cis veniebat de monte Effrem, quærens aſinos patris ſui. Et dum veniret in Armathem, ingreſſus eſt, vt interrogaret Samuel pro aſinis. Ille autem ambulabat iuxta Baam, & dixit ad eum Saul: Vbi eſt qui videt? Quoniam in illo tempore Propheta vocabatur Videns. Et dixit ad eum Samuel: Reſume te mecum hodie, & renuntiabo tibi mane propter quod veniſti interrogare. Et dixit ad Dominum Samuel: Dirige Domine populum tuum, & annuntia mihi quæ cogitaſti de eo. Et reſumpſit Saul cum Samuel in illa die. Et ſurrexit mane, & dixit ad eum Samuel: Ecce ſcias, quoniam elegit te Dominus in principem populo ſuo in tempore hoc, & erexerit vias tuas, dirigetur tēpus tuum. Et dixit

Saul ad Samuel: Quis ſum ego, & quæ eſt domus patris mei, vt dicat Dominus meus ad me verbum iſtud? Non enim intelligo quæ dicis, quoniam iuuenis ſum. Et dixit Samuel ad Saul: Quis dabit verbum tuum per ſe venire vſque ad finem vt longæuus ſis? Tamen intende, quia aſſimilabuntur verba tua verbis Prophetæ, cui nomen erit Hieremias. Et abeunte Saule, in illa die venerunt populi ad Samuel, dicentes: Da nobis regem, ſicut promiſiſti nobis. Et dixit ad eos: ecce rex vobis veniet poſt triduum. Et ecce Saul venit, & obuiauerũt ei omnia ſigna, quæ dixerat ei Samuel. Nõne hæc ſcripta ſunt in libro Regum? Et miſit Samuel, & congregauit omnem populum, & dixit ad eos, ecce vos & rex veſter. Ego autẽ in medio veſtri ſum, ſicut præceperat mihi Deus. Et ideo dico vobis ante conſpectum regis veſtri, ſicut dominus meus Moſes, famulus Dei, dixit patribus veſtris in eremo quando ſynagoga Coræ ſurrexit aduerſus eum: Scitis quia non accepi nihil de vobis, nec nocui aliquem veſtrum, & quoniam mentiti ſunt tunc, & dixerunt, Accepiſti; deglutiuit illos terra. Et nunc vos impunitia Domino, reſpondete in conſpectu Domini, & in conſpectu Chriſti eius, ſi pro hoc petiſtis regem, eo quod ego male tractauerim vos, & Dominus erit teſtis vobis. Si autem iam verbum Domini completum eſt, ego excuſatus ſum, & domus patris mei. Et reſponderunt populi: Nos ſerui tui ſumus, & rex noſter nobiſcum, quia nos indigni ſumus iudicari a Propheta. Nunc ſtatue ſuper nos regem, qui nos iudicet. Et omnes plorauerunt populi, & rex planctu magno, & dixerunt: Viuat Propheta Samuel. Et conſtituente rege attulerunt ſacrificia Domino. Et poſt pugnauit Saul cum allophylis vno anno pugna expedientiſſima. Et in tempore illo dixit Dominus ad Samuel: Vade, & dic ad Saul: Miſſus es vt diſperdas Amalech, vt compleantur verba quæ locutus eſt Moſes famulus meus, dicens: Diſperdam nomen Amalech de terra qua locutus ſum zelo meo. Et ne obliuiſcaris quin perdas omnem animam ex eis ſicut præceptum eſt tibi. Et abiit Saul, & expugnauit Amalech, & viuificauit Agag regem Amalech, quoniam dixerat ei: Oſtendam tibi theſauros abſconſos. Et propter hoc parcens ei viuificauit eum, & adduxit eum in Armathen. Et dixit Deus ad Samuel: Vidiſti quomodo in momento corruptus eſt rex argento, & viuificauit regem Amalech, & mulierem eius? Et nunc permitte ei, vt conueniat Agag mulierem ſuam in nocte hac, & ipſum interficies in craſtinum. Nam mulierem eius conſuluerunt quouſque pariat maſculum, & tũc etiam ipſa morietur: & qui natus fuerit ex ea, fiet in ſcandalum Sauli. Tu autem exurge craſtino, interficias Agag: quia peccatum Saul ſcribitur in conſpectu meo per omnes dies. Et cum ſurrexiſſet Samuel in craſtinum, exiuit Saul obuiam ei, & dixit ad eum: Tradidit Dominus inimicos noſtros in manus noſtras,

ſicut locutus eſt. Et dixit ad Saul Samuel: Quem nocuit Iſrael, quoniam antequam veniret tempus vt regnaret rex ſuper eum, poſtulauit te ſibi in regem, & tu miſſus vt faceres voluntatem Domini, tranſgreſſus es. & ideo qui per te viuificatus eſt, morietur nunc: & quos dixit theſauros abſconſos, non oſtendet tibi, & qui naſcetur ab eo, erit tibi in ſcandalum. Et venit Samuel ad Agag, habẽs gladium interfecit eum, & reuerſus eſt in domum ſuam. Et dixit Dominus ad eum: Vade, vnge quem tibi dixero, quoniam completum eſt tempus, in quo aduenerit regnum eius. Et dixit Samuel: Ecce nũc delebis regnum Saul? Et dixit: Deleo. Et profectus eſt Samuel in Bethel, & ſanctificauit presbyteros, & Ieſſe, & filios eius. Et venit Eliab primogenitus Ieſſe, & dixit Samuel: Ecce nunc ſanctus Chriſtus Domini. Et dixit ad eum Dominus: Vbi eſt viſio tua quam vidit cor tuum? Nonne tu es qui dixiſti Saul: Ego ſum qui video? & quare neſcis quem vncturus es? & nunc ſufficit tibi exprobratio, & require paſtorem omnium minimum, & hunc vnge. Et dixit Samuel: Audi Ieſſe, mitte adhuc filium tuum de grege, quoniam eum elegit Deus. Et miſit Ieſſe, & adduxit Dauid. Et vnxit eum Samuel in medio fratrum ſuorum, & erat Dominus cum eo ex illo die. Tunc cœpit pſallere Dauid pſalmum hunc, & dixit: In finibus terræ incipiam glorificari, & in dies ſeculi dicam hymnũ: Abel imprimis quando paſcebat pecora, acceptabilius fuit ſacrificium eius, quam fratris illius: & zelans eum frater eius occidit eum: me autem non ſic, quia cuſtodiuit me Deus: & quoniam angelis ſuis tradidit me, & cuſtodibus ſuis vt cuſtodiant me, quoniam fratres mei zelauerut me, & pater meus, & mater mea neglexerunt me, & cũ veniret Propheta, non clamauerunt ad me: & quando nominatus eſt Chriſtus Domini, obliti ſunt mei. Deus autẽ dextera ſua & miſericordia ſua appropinquauit mihi: propterea non ceſſabo hymnizare omnes dies vitæ meæ. Et cũ adhuc Dauid loqueretur, ecce leo amarus de ſylua, & vrſa de monte rapuerũt tauros Dauid, & dixit Dauid: ecce hoc ſignũ erit mihi in fortiſſimũ initium victoriæ meæ in pugna, & exeo poſt eos, & liberabo quæ direpta ſunt, & occido eos. Et exiens Dauid poſt eos, accepit lapides de ſylua, & occidit illos. Et dixit ad eum Deus: ecce in lapidibus tradidi in conſpectu tuo feras iſtas. Erit autem tibi in ſignum hoc, quoniam lapidibus interficies poſt inimicum populi mei. Et in tempore illo ablatus eſt ſpiritus Domini a Saule, & præfocabat eum ſpiritus peſſimus. Et miſit Saul, & adduxit Dauid, & pſallebat in cithara pſalmum in nocte, & hic pſalmus quem pſallebat in Saulem, vt recederet ab eo ſpiritus iniquus: Tenebræ & ſilentium erant antequam fieret ſeculum, & locutum eſt ſilentium, & apparuerunt tenebræ, & factum eſt tunc nomen tuum in compaginatione extenſionis, quod appellatum ſuperius cælum, inferius vocatum

eſt terra. Et præceptum eſt ſuperiori, vt plueret ſecundum tempus eius: & inferiori præceptum eſt, vt crearet eſcam omnibus quæ facta ſunt Et poſt hęc facta eſt tribus ſpirituum veſtrorum: & nunc moleſta eſſe noli tanquam ſecunda creatura, ſi comminus memoraret artari in quo ambulas. Aut non audire tibi ſufficit, quoniam per ea quæ conſonant in conſpectu tuo multis pſallo? Aut immemor es, quoniam de reſultatione in chaomato nata eſt veſtra creatura? Arguet autem tempora noua vnde natus ſum, de quo naſcitur poſt tempus de lateribus meis, qui vos donauit? Et cũ hymnizaret Dauid parcebat Saul ſpiritus. Et poſt hæc venerunt allophyli pugnare ad Iſrael. Et Dauid reuerſus eſt in eremo vt paſceret oues, & obuiauerunt ei Madianites, & volebant rapere oues eius: & deſcendit ad eos, & occidit de eis XV M. virorũ. Hæc eſt prima pugna, quam pugnauit Dauid cum eſſet in eremo. Et exiuit vir de caſtris allophylorũ, nomine Golia, & intendit in Saul & in Iſrael, & dixit: Nõne tu es Iſrael, qui fugiſti ante cõſpectũ meum, quando abſtuli a vobis arcam & interfeci ſacerdotes veſtros, & nunc regnans deſcendens tanquam vir & rex, & expugnabis nos? Si minus, ego veniam ad te, & captiuare te faciam, & populum tuum ſeruire diis noſtris. Et audiens hæc Saul & Iſrael, timuerunt valde. Et dixit allophylus, iuxta numerum dierum in quibus epulatus eſt Iſrael, quando accipiebant legem in eremo, quadraginta diebus, ita ego improperabo eis, & poſt pugnabo cum illis. Et factum, cum completi fuiſſent dies, & veniſſet Dauid videre pugnam fratrum ſuorum, audiuit verba quę locutus eſt allophylus, & dixit: Si hoc eſt tempus quod dixit Deus ad me, tradam in manus tuas in lapidibus inimicum populi mei? Et audiuit Saul verba hæc, & miſit & accepit eum, & dixit: Quis erat ſermo quem locutus eſt populo? Et dixit Dauid: Ne timeas rex, quoniam iam expugnabo allophylum, & auferet Deus odia & opprobria ex Iſrael. Et profectus eſt Dauid, & accepit ſeptem lapides, & ſcripſit nomina patrum ſuorum, Abraham, Iſaac, & Iacob, Moſis & Aaron, & ſuum, & fortiſſimi. & miſit Deus Ceruihel angelum prępoſitum ſuper virtutem. Et profectus eſt Dauid ad Goliam, & dixit ei: Audi verbum antequam moriaris: Nonne ſorores erant duæ mulieres, vnde natus es tu, & ego? Et erat mater tua Orpha, & mater mea Ruth. Et elegit ſibi Orpha deos allophylorum, & abiit poſt eos, Ruth autem elegit ſibi vias fortiſſimi, & ambulauit in eis. Et nunc nati ſunt de Orpha tu, & fratres tui, & quia exurgens hodie veniſti deuaſtare Iſrael, natus de cognatione tua, ecce veni & ego vindicare populum meum. Nam & tres fratres tui poſt mortem tuam incident in manus meas, & tunc dicetis matri veſtræ, non pepercit nobis qui natus eſt de ſorore tua. Et miſit Dauid in fundibulo lapidem, & percuſſit allophylum in fronte ſua, & cucurrit ſuper eum, & euaginauit rhom-

phæam

pheam eius,& caput eius tulit ab eo. Et dixit ei Golia, dum adhuc eſſet in eo anima eius: Feſtina,& interfice me, & exulta. Et dixit ei Dauid: Antequam moriaris aperi oculos tuos, & vide interfectorem tuum, qui te interfecit. Et reſpiciens allophylus vidit angelum, & dixit: Non ſolus occidiſti me, ſed qui tecum aderat, cuius ſpecies non eſt ſicut ſpecies hominis. Et tunc Dauid abſtulit caput eius ab eo. Angelus autem Domini erexit faciem Dauid, & nemo agnoſcebat eum. Et videns Saul Dauid, interrogauit eum quis eſſet, & non erat qui cognoſceret eum. Et poſt hæc zelauit Saul Dauid, & quærebat occidere eum. Dauid autem, & Ionathas filius Saul, diſpoſuerunt teſtamentum ſimul. Et vt vidit Dauid, quoniam quærebat eum Saul occidere, fugit in Armathem, & exiuit poſt eum. Et manſit ſpiritus in Saul, & prophetauit, dicens: Quid ſeduceris Saul, aut quem perſequeris in vanum? Completum eſt tempus regni tui. Perge in locum tuum. Tu enim morieris, & Dauid regnabit. Nonne tu, & filius tuus ſimul moriemini? Et tunc apparebit Dauid regnum? Et abiit Saul, & non ſciuit quæ prophetauit. Dauid autem venit ad Ionathan,& dixit ad eum: Veni,& diſponamus teſtamentum antequam ſeparemur ab inuicem. Saul enim pater tuus quærit me interficere iniuſte. Et ex quo cognouit quoniam diligis me, non renuntiat tibi quæ cogitauerit de me. Propter hoc odit me; quoniam diligis me, & ne regnem pro eo. Et cũ ego reddiderim illi bona, ille retribuit mihi mala: & cum ego Goliam occiderim in verbo fortiſſimi, vide finem quem tribuit mihi,quia determinauit domum patris mei,vt diſperderet eam. Atque vtinam conſtituatur in pōdere iudicium veritatis,vt audiant determinationem multitudo prudentium. Et nunc timeo,ne interficiat me,ne perdat pro me vitam ſuam, ſanguinem enim iuſtum nunquam effundet. Quare anima mea perſecutionem patitur? Minimus enim inter fratres meos fui paſcens oues,& quare morte periclitor? Iuſtus enim ſum, & iniquitatem non habeo.Et quare pater tuus odit me? Sed iuſtitia patris mei adiuuet me,vt in manus patris tui nō incidam. Et cum ſim iuuenis,& mollis dierum,in vano Saul inuidet mihi. Si nocuiſſem eum, rogarem vt donaret mihi peccata: quoniam ſi iniquitates Deus donat, quanto magis pater tuus, qui eſt caro & ſanguis? Ambulaui in domo eius in toto corde etiam quaſi leuis aquila prouectus ſum ante conſpectum eius. Poſui manus meas in lancea, & benedixi eum in hymnis, at ille cogitauit interficere me, & tanquam paſſer qui fugit ante faciem accipitris ſic fugi ante faciem eius. Cui hæc dixi, aut cui annuntiaui quæ paſſus ſum,niſi tibi, & Melchol ſorori tuæ? Ambo enim nos in veritate eamus inuicem. Et melius erat frater, ſi in pugna occiſus eſſem,quam inciderem in manus patris tui:fuerunt enim in pugna oculi mei vbique videntes,vt cuſtodirem eum de inimi-

cis eius. Frater mi Ionatha, audi verba mea, & ſi eſt in me iniquitas, argue me. Et reſpondens Ionatha, dixit ad Dauid: Veni ad me frater meus Dauid, & dicam tibi iuſtitiam tuam. Tabeſcet anima mea in triſtitia tua valde, quoniam ſeparamur modo ab inuicem. Et hoc coegerunt peccata noſtra, vt ſeparemur ab inuicem, ſed memores ſimus dum viuimus noctu & die inuicem & ſi mors ſeparat nos, ſcio quia animę noſtrę alterutrum ſe cognoſcent. Tuum eſt enim regnum in hoc ſeculo, & ex te erit initium regni, adueniens in tempore. Et nunc tanquam infans, qui auferetur a lacte matris ſuæ, ſic erit ſeparatio noſtra. Teſtis eſto cælum, & teſtis eſto terra, in his quæ locuti ſumus inter nos. Et ploremus vnuſquiſque ad proximum ſuum, & lachrymas noſtras condamus in vas vnum, & commendemus vas terræ, & erit nobis in teſtimonium. Et plorauerunt vnuſquiſque ad proximum ſuum valde, & oſculati ſunt ſe inuicem. Timuit autem Ionatha, & dixit ad Dauid: Memores ſimus frater teſtamenti inſtituti inter nos, & iuramenti poſiti in corde noſtro. Et ſi prior te obiero, & regnando regnaueris, ſicut locutus eſt Dominus, non memor ſis iræ patris mei, ſed teſtamenti tui, quod diſpoſitum eſt inter me & te. Nec memor ſis odii quo te odit pater meus in vano, ſed dilectionis meæ, qua te amaui. Nec memor ſis, quod tibi ingratus fuit pater meus, ſed memor eſto menſæ in qua manducauimus ſimul. Nec retineas zelum quo te zelauit male, ſed veritatem quam habemus ego & tu. Nec cures mendacium quod mentitus eſt Saul, ſed iuramenta quæ ad inuicem iurauimus. Et oſculati ſunt inuicem. Et poſt hæc abiit Dauid in eremum, & Ionatha ingreſſus eſt ciuitatem. In illo tempore ſacerdotes, qui habitabāt in Noba erant contaminantes ſancta Domini, & exprobrantes primitiua populis. Et indignatus eſt Deus, & dixit: Ecce ego delebo habitantes in Noba, quoniam ambulant in viis filiorum Heli. Et in tempore illo venit Doech Syrus ad Saul, & dixit ei: Tu neſcis quoniam facit conſilia Abimelec ſacerdos cum Dauid, & rhomphæam dedit ei, & miſit eum in pace? Et miſit Saul & vocauit Abimelec, & dixit ad eum: Morte morieris, quoniam cōſilium diſpoſuiſti cum inimico meo. Et interfecit Saul Abimelec, & domum patris eius, & nec vnus quidem liberatus eſt ex tribu eius, niſi ſolus filius eius Abiathar. Qui abiens ad Dauid, renuntiauit ei omnia quæ contigerant illi. Et dixit ei: Ecce populus hic in anno quo cœperat regnare Saul, cum peccaſſet Ionatha, & vellet mortificare eum, exurrexit, & non permiſit eum, & nunc interficerentur ſacerdotes CCCLXXXV viri. Tacuit, & nihil dixit. Et propterea ecce dies venient cito, & tradam eos in manus inimicorum eorum, & cadent vulnerati cum rege ſuo. Et ad Doech Syrum hæc dixit Dominus: Ecce dies venient cito, & aſcendet vermis igneus in linguam eius, & tabeſcere faciet eum, & erit

habitatio

habitatio eius cum Iair in igne inextinguibili ſemper. Omnia quæ fecit Saul, & reliqua verborum eius, & quomodo perſecutus eſt Dauid, nonne ſcripta ſunt in libro Regum Iſrael? Et poſt hæc Samuel mortuus eſt, & congregatus eſt omnis Iſrael, & planxit eum, & ſepeliuit eum. Tunc Saul cogitauit, dicens: Auferens maleficos de terra Iſrael, memor mei erunt poſt diſceſſum meum. Et diſperſit Saul omnes maleficos de terra. Et dixit Deus: Ecce Saul non propter timorem meum tulit maleficos de terra, ſed vt ſibi nomen faceret. Ecce quos diſperſit ad eos vadat, & diuinationem conſequatur ab illis, eo quod non habeat prophetas. Et tunc allophyli dixerunt vnuſquiſque ad proximum ſuum: Ecce Samuel mortuus eſt propheta, & quis orat pro Iſrael? Et Dauid qui expugnauit pro eis inimicus eſt Saul & non eſt cum eis Et nunc exurgentes eamus, & pugnantes expugnemus eos, & vindicemus ſanguinem patrum noſtrorum. Et collecti ſunt allophyli, & venerunt ad pugnam. Et vt vidit Saul quoniam Samuel mortuus eſt, & Dauid non eſſet cum eo, reſolutæ ſunt manus eius Et interrogauit per dominum, & non obaudiuit eum: & quæſiuit prophetas, & non apparuit ei vllus. Et dixit Saul ad populum: Quæramus aliquem diuinum, & interrogemus per eum quod cogito. Et reſpondit ei populus: Ecce nunc eſt mulier Sedecla nomine, & hæc filia Debicundianitæ, qui ſeduxit populum Iſrael maleficiis. Et ecce hæc habitat in Endor. Et induit Saul veſtimenta ſua non bona, & abiit ad eam ipſe & duo viri cum eo noctu, & dixit ad eam: Eleua mihi Samuelem, Quæ dixit: Timeo regem Saulem. Et dixit ad eam Saul: Non noceberis a Saule in hoc verbo. Et dixit Saul intra ſe: Quando regnabam in Iſrael, etiamſi gentes non videbant me, ſciebant tamen quomodo Saul eram. Et interrogabat Saul mulierem, dicens: Si vidiſti Saulem aliquando? Quę dixit: Frequenter vidi: Exiuit Saul foras, & plorauit, & dixit: Ecce nunc ſcio quoniam ſpecies mea mutata eſt, & gloria regni mei tranſiuit a me. Et factum eſt cum videret mulier Samuelem deſcendētem, & Saulem vidit cum eo, exclamauit, & dixit: Ecce tu es Saul, & quare illuſiſti me? Et dixit ad eam: Noli timere, ſed dic quid vidiſti? Quæ dixit: Ecce quadraginta anni ſunt ex quo eleuo mortuos allophylis, ſed hæc ſpecies non eſt viſa, ſed nec poſtea videbitur. Et dixit ad eam Saul: Quæ ſpecies eius? Quæ dixit: Interrogas me de diis. Ecce enim ſpecies eius nō eſt hominis, Ipſe enim veſtitur ſtolam albam ſuperpoſitam deploidem, & duo angeli deducentes eum. Et memoratus eſt Saul deploidis quam diſruperat Samuel dum viueret, & percutiens manum eius proiecit eam in terram. Et dixit ad eum Samuel: Vt quid inquietaſti, vt eleuares me? Putaui quod appropinquaſſet tempus reddendi mercedem operum meorum. Et ideo noli gloriari rex, neque tu mulier: Vos enim non deduxiſtis me, ſed ea traditio, in qua

dixit mihi Deus cum viuerem, vt veniens nuntiarem tibi, quod peccaueras iam ſecundo negligenter Deo. Propterea poſt reditionem animæ meæ conturbata ſunt oſſa mea, vt dicerem tibi mortuuſque audirer viuens. Nunc ergo craſtino tu & filii tui mecum eritis tradito populo in manus allophylorum, & propter, quod zelata ſunt viſcera tua, accipietur de te quod eſt tuũ. Et audiuit Saul verba Samuelis, & diſſolutus eſt, & dixit: Ecce ego vado cum filiis meis mori, ſi ruina mea exoratio eſt iniquitatum mearum. Et ſurrexit Saul, & abiit inde, & allophyli expugnabant Iſrael, & exiuit Saul in pugnam, & fugit Iſrael ante conſpectum allophylorum. Et videns Saul quoniam confortabatur pugna valde, dixit in corde ſuo: Quid confortaris ad vitam, cum Samuel euãgelizauerit tibi mortem cum filiis tuis? Et dixit Saul ei qui portabat vaſa eius: Tolle rhomphæã tuam, & mortifica me, antequam veniant allophyli, & abutantur me. Et noluit qui portabat vaſa eius iniicere manus ſuas in eum. Ipſe autem incubuit ſuper rhomphæam ſuam, & nõ potuit mori, & reſpexit retro ſe, & vidit virum currentem, & clamauit ad eum, & dixit: Tolle machæram meam: & mortifica me adhuc anima mea in me eſt. Et venit vt mortificaret eum. Et dixit ad eum Saul: Antequam mortifices me, nuntia mihi quis es. Et dixit ei ille: Ego ſum Edab, filius Agag regis Amalechitarum. Et dixit Saul: Ecce nunc venerunt ſuper me verba Samuelis, quomodo dixit: Qui natus fuerit de Agag erit tibi in ſcandalum. Vade autem, & dic Dauid: ego occidi inimicum tuum. Et dices ei: Hæc dicit Saul: Non memor ſis odii mei, neque iniuſtitiæ meæ.

FINIS.

CENSVRA
In quendam auctorem, qui ſub falſa inſcriptione

BEROSI CHALDAEI
circumfertur,

GASPARE VARRERIO
Auctore.



Apud H. Commelinum Typographum Palat.
CIↃ IↃ XCVIII.

CLARISSIMO VIRO ATQVE ILLVSTRISS. D. M. ANTONIO AMVLIO S. R. E. Tituli S. Marcelli presbytero Cardinali, Gaſpar Varrerius S. P. D.

QVEMADMODVM non eſt aliud in rebus humanis vel admirabilius, vel ſalutarius, quam ſapientum & diſertorum virorum, conſignata litteris monimenta, quorum, ad bene beateque viuendum, idoneis inſtruimur conſiliis, diuinarumque, atque humanarum rerum ſcientiam conſequimur, præteritorum quoque temporum varietates, & viciſſitudines cognoſcimus, ita profecto nulla vel immanior, vel calamitoſior iactura, quam librorum meo iudicio putanda eſt. Ac mihi, cum tantorum philoſophorum atque illuſtrium poetarum, ſummorumq. oratorum & grauiſsimorum theologorum, quorum egregia tot interiere volumina, ſæpenumero, in mentem venit clariſsime Amuli, illud pœne accidit, quod euenisſe potentiſsimo quondam Perſarum regi, memoriæ proditum eſt; qui cum copioſiſsimum ac ſuperbiſsimum, quem aduerſus Athenienſes collegerat exercitum, omni bellico apparatu, rerumque omnium ornatu viſendum, ex quadam ſpecula contemplaretur, fleuiſſe dicitur; eo quod infinitam pœne illam hominum multitudinem, ante centum annos, mortis fato interituram eſſe cerneret. Verum ille futurum illorum hominum deplorabat interitum, qui, ad occidendos homines inſtructi, & parati erāt: nos autem, ſapientiſsima præclarorum animorum cogitata, ac diuinas lucubrationes, quæ admirabiles habere videbantur opportunitates, penitus intercidiſſe, iuſtius lugemus. Quis enim M. Varronis ingentem, & immenſum librorum numerum, non ferat acerbiſsime, temporis iniuria interceptum? Quem virum & tam multa legiſſe dixit diuus Auguſtinus, vt ei ad ſcribendum ſuppetiſſe tempus mirum eſſet, & tam multa ſcripſiſſe, quæ nemo alius legere potuiſſet. vt Ciceronis & aliorum præclara de eo teſtimonia prætermittam. Nec vero ſcripta tantum innumerabilia ſapientiſsimorum virorum temporis iniquitas deleuit: ſed antiquam illam latini ſermonis elegantiam, omneque prorſus etiam eloquentiæ lumen extinxit. Porro quas eſſe cauſſas dicemus, vir Illuſtriſsime, cur tantarum tamque diſsimilium rerum, & diſciplinarum atque etiam artium tot amitteremus libros; & illuſtris illa dicendi ratio penitus interierit? Ea quamquam in hanc ipſam rem intuentibus, externorum armorum impetus, vel turbulentæ perditorum ciuium ſeditiones, quibus imperii cuiuſque vel prorſus amiſsio, vel magna certe diminutio conſequitur, ferè videri ſolent: tamen, ſi quis ad conuerſionem Romani ſtatus, reique illius publicæ inclinationem toto ſe animo, & cogitatione conuertat, non tantum externa bella, ciuileſque tumultus & diſſenſiones, quantum præpoſterum

aliquorum iudicium, vanæ cuiuſdam laudis opinione deceptum, totam loquendi rationem peruertiſſe, & deprauaſſe comperiet. Quod enim fuit tranquillius aliquando tempus, quam illud, quo Cæſar Octauianus poſt rem publicam euerſam, ſumma & placidiſſima conſtituta pace, toti pœne terrarum orbi imperauit? Et tamen iam inde latina eloquentia, quam aurea illa Ciceronis ætas in altiſſimo paulo ante viderat gradu collocatam, naturaleque illud, & non fucatum ſermonis genus, cœpit à ſummo nitore, & à diuino illo orationis genere deflectere, eoque paſſim deduci, vt omnem prorſus ornatum, dignitatemq́; amiſerit, & veram atque germanam effigiem, quemadmodum aut non bene conſtitutum, aut iam ſenio confectum corpus, omnino mutauerit. ſiquidem ipſe, quem modo nominaui, Cæſar in nouas iam tum Tiberii, ac Mœcenatis, & aliorum ſimiliũ virorum, loquendi formulas, quas fœtores appellare ſolitus erat, inuehebatur. Cumque ad Neronis tempora ventum eſt, ipſum imperatorem à lectione veterum oratorum præceptor eius Seneca retraxit: quo ſuorum ſcriptorum, vt auctores tradunt, vehementior excitaretur admiratio. Qui homines cum gratiæ multum & auctoritatis apud omnes, ob nimiam erga illos imperatorum indulgentiam, eſſent conſecuti, fiebat, vt, cum alii, ſeu adulationis cauſſa, ſeu forte ſimili errore ducti, eos imitarentur, nouum loquendi genus ſenſim obreperet. Errore igitur iudicij longe lateq́; diffuſo, poſtquam exploſa illa vetus, & illuſtris dicendi ratio, & tamquam à ſcena exibilata eſt, antiquorum oratorum, atque hiſtoricorum, poetarumque libri, cum legi, tum etiam deſcribi à librarijs ſunt deſiti: & hac de cauſſa à tineis & blattis penitus abſumpti. Alia præter has tantæ calamitatis cauſſa fuit, quod, cum hiſtorici, non propter ipſorum eloquentiam, cui iam nullus erat honos, ſed ob rerum geſtarum cognitionem legerentur, & multi maximam laudem in breuitate conſtituerent, libroſq́; ſtudioſe mutilarent, cœpere librarij ea maxime deſcribere, quæ perquirere homines ardentiore ſtudio, & auidius emere intelligerent. itaque maiorem T. Liuij partem, atque Trogum amiſimus, ob Iuſtini & L. Flori, ſi modo is Liuium contraxit, inanes & pernicioſos labores. Feſtus Pompeius propterea mutilus remanſit, & aliorum numeroſa ſcriptorum turba deperijt: quorum iacturam Aldus Manutius Romanus, vir quondam longe doctiſſimus, ſatis iam tunc deplorauit, importunosque huiuſmodi labores ſumme deteſtatus eſt. Cum vero his potiſſimum de cauſſis, politiores literæ, multis ſæculorum ætatibus iacuiſſent, cœpere patrum noſtrorum memoria caput aliquando extollere, ſeſeque paulatim erigere: eodemque tempore Græci etiam auctores, qui ex funeſta illa clade ſuperfuerant, quaſi reuiuiſcere viſi ſunt: Summuliſtarum, ſimiliumque barbarorum monſtra, ab gymnaſijs extrudi: & verus ac germanus Ariſtoteles, verus Plato, verus Hippocrates, verus Galenus, multique alij, qui nunc extant auctores, ab innumeris mendis vindicati, velut ab inferis excitari. Verus quoque latinæ linguæ nitor, præſtanti induſtria Petri Bembi, Iacobi Sadoleti, & Adriani doctiſſimorum Cardinalium, Pauliq́; Manutij, qui nunc viuit, omnium iudicio eruditiſſimi, atque ornatiſſimi viri, quemq́; honoris cauſſa nomino, reſtitui, ac refloreſcere. Cumque magnos atque ingentes

gentes

gentes progreſſus, vera iam eloquentia, ceteraque artes & diſciplinæ feciſſent, ecce tibi ſubito alia coorta eſt tempeſtas. neſcio enim quo fato nuper cœperunt homines in Italia, quæ ſola certe poſt Græciam fuerat bonarum literarum altrix, falſa & pernicioſa quadam inducti perſuaſione, linguam ſuam vulgarem, quam latinam corruptam ſatis eſſe conſtat, adeo excolere, vt in ea excelluiſſe, pulchrum putent: omneſque eos labores & vigilias, quas in reſtituenda latini ſermonis proprietate, in ſtudioque latinæ eloquentiæ ponere debuiſſent, in propaganda & illuſtranda lingua corrupta, collocare non verecundentur: idque contentione tanta atque diligentia, vt nullus iam fere ſit vel Græcus vel Latinus auctor, qui in hanc linguæ latinæ fecem conuerſus non reperiatur. Quaſi vero tanta ſit huius linguæ præſtantia, vt Cicero, Cæſar, Salluſtius, Liuius, Terentius, Virgilius, Lucretius, Tibullus, ceterique poetæ, oratores & hiſtorici præſtantiſſimi & eloquentiſſimi, in alienam linguam conuerſi, maiorem eloquentiæ ſplendorem, ampliorem que ſpeciem & ornatum, & vehementiorem delectandi, ac perſuadendi vim vel habeant vel habere potuerint: Quod ſi in hac vulgari lingua tales poetas, tales oratores habuiſſent, talesque hiſtoricos, qui, in aliquibus eloquentiæ ornamentis, Græcis vel Latinis auctoribus præſtitiſſent, aut ſaltem eos exæquaſſent, fortaſſe iam quoquomodo eorum ferendus labor, & diſſimulandum ſtudium eſſet. Nam Franciſcus Petrarcha & Ioannes Bocatius, quos velut vulgaris linguæ principes tantopere laudant, & extollunt, ad quorumque imitationem ſe ceteri contulerunt, quidnam quæſo ſcripſere? Ille quidem, ſi verum licet dicere, de vnius obſcuræ mulierculæ laudibus, quæ non Semiramis, nec Artimiſia nec Zenobia, vel alia huiuſmodi fuit, infinitos pœne verſus compoſuit, dolores & anxietates animi ſui, præ amore illius Helenæ deficientis, nobis litteris conſignatas, relinquens Chriſti ſacerdos: hoc eſt ipſius vel Iliados, vel Aeneides doctum & excellens poema. Hic vero meras nænias & aniles fabulas, quæ nullam nec doctrinam, nec eruditionem ſapiant, ſed ad imperitam multitudinem & meretrices potius, quam doctos & ſanos homines pertineant, in diuino illo Decamerone, ſic enim illi vocant, exarauit. itaque hos vulgaris linguæ Cicerones, hos Cæſares, hos Salluſtios, hos Homeros & Virgilios nobis oſtentant. Iam illud exiſtimare non poſſum, eſſe quemquam ſanæ mentis hominem, qui ſuum Homero vel Virgilio Petrarcham, Dantem Horatio, Arioſtum Ouidio, ac neſcio quos Seraphinos, aliosque malos de populo poetas, docto Catullo, Propertio, vel Tibullo, cæterisque præſtantiſſimis vatibus anteponat: vel inueniri aliquem, qui, quos modo nominaui, graues & ingenioſos poetas, in linguam qua vulgo vtimur conuerſos, legere in animum inducat; quæ lingua, ſine vlla dubitatione omnem illis vim & ſuauitatem, ceteraſque oratorias virtutes penitus ademit: niſi forte, qui veræ eloquentiæ guſtum, & dulcedinẽ non ſentiunt. Quid autem de hiſtoricis & oratoribus, in eandem linguam conuerſis, ſentiendum ſit, ex ipſis, quæ de poetis dicta ſunt, intelligi poteſt. Quando igitur ex bonis Græcis, ex bonisque Latinis fabulis illos conſtat Etruſcas facere non bonas, quid tantum inſano iuuat indulgere labori? Vel ſi forte hac ratione linguam ſuam longe lateque propagare cogitant illi,

qui totis viribus in vertendis auctoribus elaborant: meminiſſe certe debuiſſent, Romanos olim, quorum potentiæ nihil arduum, vel difficile potuiſſe videri exiſtimandum eſt, vix in Gallias & Hiſpanias Romanum ſermonem introduxiſſe. nam Belgæ & Heluetij, Vaſcones & Cantabri, etiamſi alios alij admiſerunt, ab eo ſemper abhorruere, ſuamq; etiam nunc retinent alumnam linguam: nec Germani, nec Græci, Aegyptij, vel Afri ſuam, cum latina commutare vnquam voluerunt. Quonam igitur modo Itali linguam ſuam vulgarem in eas nationes, eis nullo ſeruitutis iugo mancipatas, introducere ac proſeminare putent, ſatis intelligere non poſſum. Certe, vir illuſtriſſime, cum Italorum illuſtrem conſidero naturam, acre ſolerſque ingenium, ad quæuis præclara natum, non poſſum non vehementer dolere, tantam virtutis indolem, in re tam humili, tam anguſta, tam Italico nomine indigna, eſſe conſumptam. Quod autem latinæ linguæ ſplendorem, eloquentiæque vim, quorundam olim potentium hominum deprauatum iudicium, æque ac hoſtilis incurſus, extinxerit, ex hac miſerrima noſtrorum temporum conditione facile iudicari poteſt. Cũ enim Italia nullis bellorum tempeſtatibus agitetur, ſed ſumma pace, ſummaque tranquillitate perfruatur, quæ ad literarum ſtudium maximas conferre ſolet commoditates, tamen tantum valet qualibet vehemens perſuaſio, & opinio penitus inſita, multorumq; conſenſu confirmata, vt, quemadmodum illis temporibus, poſt euerſam rempublicam proximis, politiores literas & eloquentiam omnino afflixerit, ita præſenti tempeſtate facere videatur; adeo, vt niſi huic errori, antea quam latius ſerpat, aliqua ratione obſiſtitur, futurum plane ſit, vt Italia ad ſummam illam barbariẽ redigatur, qua Gotthorum temporibus fuerat infuſcata, quippe, cum perpauci ſint adoleſcentes, qui latinam velint orationem excolere, in qua laude præter gentes ceteras excelluiſſe Italos, ſatis cognitum compertumq; eſt. Quod ſi aliæ nationes, prætermiſſo latini ſermonis cultu, linguas ſuas Italorum exemplo perpolire, & nobilitare contenderent, actum ſane quidem eſſet de Latina Græcaq; lingua, deq; ceteris artibus & diſciplinis: omniaq; Græcorum & Latinorum volumina aut inter priuatos parietes, ſitu, & ſqualore obſita corrumperentur, aut vncta mitterentur Ilerdam, vt ille ſuis carminibus prædicebat, ſi manibus ſordeſcere vulgi cœpiſſent, ſicut hodie Italicæ iuuentũti latina ſordet eloquentia. Sed neſcio quomodo longe vagata eſt oratio. redeo igitur iam ad id, quo prius intenderam. Cum ego Beroſum Chaldæum vidiſſem in illa, quam dixi, miſerabili librorum clade concidiſſe, dolui maxime, fateor, virum tanti nominis, qui grauiſſimus hiſtoricus, & nobiliſſimus aſtrologus, atque etiam philoſophus habitus eſſet, & cui Athenienſes propter doctrinæ præſtantiam publice ſtatuam locauiſſent, quique pater extitiſſet Sibyllæ Cumææ, virginis religioſiſſimæ, ac diuinitus afflatæ, eo quod multa de Chriſto deo vaticinata eſſet, ſub cuiuſdam vani, & obſcuri ſcriptoris titulo circumferri. quapropter rei indignitate permotus, continere me non potui, quin hunc, pro mea mediocritate, non ſolum imperitæ multitudini, ſed etiam doctis quibuſdam viris errorem eriperem. Quod opus tibi vir præſtantiſſime, & quidem iure optimo dedico. nam cum inter aliquas noſtras lucubrationes partim Latine, partim

æ,partim Luſitane ſcriptas, quæ in manus tuas venerant, in quandam aduerſus hunc commentitium Beroſum cenſuram incidiſſes, quæ à me iam olim eo conſilio fuerat lingua noſtra vulgari in commentarium relata, vt,cum licuiſſet,Latine componerem,contendiſti à me, propterea quod quæ illic tractarentur, placuiſſe diceres,vt in communem & publicam vtilitatem,ea Latine ederem. Cum vero iam tantis à te affectus beneficiis me ad morem tibi gerendum præparaſſem, accidit, vt in ipſo procinctu quaſi currentem incitarent iniuſtæ aduerſariorum meorum querelæ,illius præſertim,qui,in illa ſympoſiaca altercatione,mecum, te præſente, hac ipſa de re,& quidem ad ſatietatem, ac pœne ad ſtomachum expoſtulauit. Verum etſi hæ duæ non extarent,aliæ profecto & longe iuſtiſſimæ ad hoc me,quodcunque eſt,opus tibi dedicandum cauſæ impuliſſent. Nam quis ignorat eum eſſe te,quem Reſpublica Veneta,vna omnium iudicio in toto terrarum orbe clariſſima,natum ex illuſtri Amuliorum familia, talem ſemper iudicauerit,vt tuo conſilio, opera, induſtria, quæ ſumma in te ſunt,quæque ad illius reipublicæ dignitatem & amplitudinem pertinent, maxime vteretur? omnes enim magiſtratus honorabiliores, præter illum ducis ſupremum, tibi ſumma cunctorum gratulatione mandauit. Quare miſſus orator ab auguſto illo ſenatu ad Carolum Quintum imperatorem, in ea legatione cum multa variaque negotia, quæ ſummam prudentiam requirerent,temporis obtuliſſet viciſſitudo,omnia in tantis rerũ difficultatibus ſic plene & cumulate obiuiſti, vt ſapientiſſimus ipſe imperator,& quendam te eſſe Neſtorem, in cuius mente pluri mæ ad res maximas ſitæ eſſent vtilitates, intellexerit, & ſenatus Venetus magnum quoddam patriæ decus,& ornamentum agnoſceret & confiteretur. itaque legatione illa perhonorifice functa, alijsq́ʒ glorioſis domi foriſque tum bello tum pace adminiſtratis,idem ſenatus Romam te ad ſummum Pontificem oratorem miſit: apud quem cum aliquandiu verſatus eſſes, & mens iſta magnarum & honeſtiſſimarũ rerum conſultrix,quaſi lumen elucere cœpiſſet; ſtatim PIVS IIII. Pontifex maximus, qui per eoſdem fere dies ad celſiſſimum Apoſtolicæ ſedis gradum,omnium patrum ſuffragijs,ſumma dei erga genus humanum benignitate aſcenderat, in ſacrum te Cardinalium collegium cooptauit: quam dignitatem & honoris gradum,quamuis ſublimem & valde honorificum,quia ſine Senatus Veneti conſenſu,accipere diu multumque recuſaueras,idem Pontifex, propterea quod talium virorum conſilio & auctoritate, in his præſertim turbulentis & difficillimis Eccleſiæ temporibus, vehementer indigebat, miſſis ad te primum quibuſdam ex intimis familiaribus ſuis,grauiſſimis viris,poſtremo Aloyſio Cornelio,ampliſſimo S. R. E. Cardinali,iuſſit (vt ipſius verbis vtar) in virtute ſanctæ obedientiæ, vt oblatum munus omnino ſuſciperes, fore pollicens, vt Senatus Venetus huiuſmodi cooptationem, pro chriſtianæ reipublicæ ſalute, perpetuoq́ue erga ſedem Apoſtolicam ſtudio comprobaret: quod nouum & inuſitatum deferendi honoris genus, nemini poſt hominum memoriam, præterquam tibi contigiſſe, ſatis compertum teſtatumque eſſe arbitror. Quid ego nunc commemorem iſtum tam præſtantem,tot philoſophiæ præceptis imbutum, tam ad omnem laudem

propenſum, omnique ornatum virtute animum? quid iſtam laudare pergam ſacrarum literarum ſcientiam, & iſtud Platonicę doctrinę ſtudium, tum etiam pręclaram morum, & humanitatis ſuauitatem, beneficumq; animum, quo literas literarumque ſtudioſos tanto fauore, tanta liberalitate complecteris. Quod ſi omnes principes & optimates tuo exemplo literas colere & literatos homines iuuare & ornare in animum induxiſſent, non eſſet profecto, cur nonnulli Italicę iuuentutis adoleſcentes, ſeu pars eius potius pręcipua, ſpreto Latini ſermonis cultu, in exornanda lingua vulgari, in eamque gręcis & latinis auctoribus vertendis, ſine vllo eruditionis fructu conſeneſcerent. Vereor igitur iam, ne, quas habui ad hoc tibi paruum opus dedicandum idoneas cauſas, eędem ipſe me temeritatis & arrogantię arguere videantur: qui lucubratiunculā tā tenuē, principi tantis nominibus commendato, auſus fuerim dedicare. ſed cū excellentem animi tui naturam conſidero, audacter iam te orare, & obſecrare non dubitabo, vt illam, qua mirifice apud omnes commendaris humanitate, & benignitate ſuſcipias. Hanc igitur cenſuram ſub tuo nomine prodeuntem tibi Vir clariſſime, meque ipſum commendo, tuęq; fidei trado. Vale, Romę IX. Kal. Augusti, M.D.LXIII.

GASPARIS VARRERII in quendam auctorem, qui ſub falſa inſcriptione, BEROSI Chaldæi, clariſſimi quondam ſcriptoris, circumfertur, CENSVRA.

EXTAT commentarius de Ophira regione, vnde olim Salomoni Iudæorum regi inclyto, maxima vis auri & argenti, ingenſque aliarum rerum copia afferebatur, a nobis iampridem latine compoſitus, extant præterea chorographicæ aliquot Hiſpaniarũ, Galliarumque, atq; Italiæ vrbium & locorum deſcriptiones, cuiuſdam noſtræ peregrinationis varium, & laborioſum opus, in quo ipſo antiqua vetuſtatis nomina, quæ diu in tenebris latuerãt, quantum per tenues & ingenii & eruditionis noſtræ opes licuit, reſtituenda curauimus. Multa tum etiam illic variæ tractationis, curſim animaduertimus atque notauimus. Nonnullos quoque authores, qui ſine vllo delectu, plurima ab omni prorſus veritatis forma aliena, temere affirmarant, coarguendos duximus. In quoſdã itidẽ ſuppoſititios hiſtoricos qui nomine Beroſi Chaldæi atque Manethonis Ægyptii, Quinctique Fabii Pictoris, & Porcii Catonis de Originibus circumferuntur, inuecti ſumus: quos quidã Ioannes Annius Viterbienſis, non ſolum laudibus in cœlum ferre, iudicio teſtimonioque ſuo comprobare, verumetiam quibuſdam explicationibus illuſtrare & celebrare conatus eſt. Quas veluti cenſorias notationes, ceteraq; chorographica, quæ ſermone vulgari in commentarium retuleramus, vt Latine, cum eſſet commodum, componeremus, frater meus, cui ego omnia mea commiſeram, certis quibuſdam ductus rationibus, typis excudenda curauit. vbi vero editi fuerunt libri, paſſim & celeriter non modo per totam Hiſpaniam diuidi, atque peruulgari, ſed etiam in Italiam comportari cœpti ſunt: adeo, vt cum ipſe non multo poſt eorum editionem Romam venerim, eos in hãc vrbem allatos, per homines Hiſpanos in Italorum manus perueniſſe, ab eiſque quamquam Luſitane ſcriptos auide lectitari acceperim. Nam Itali (vt eſt gens illuſtri & præclaro ingenio, eoque variis diſciplinis exculto) in cognoſcendis tractandiſque rebus ſtudium ſemper ſuum, atque operam poſuere. Quare alij, eo quod fuiſſent aliquod tempus in Hiſpania cõmorati, alij, adiuuante Hiſpanorum interpretatione,

non ita magno negotio, nec difficulter, quæcumque illic tra-ſtarentur, ſunt conſecuti. Ita igitur ad Italorum famam ſcripta noſtra dimanarunt, in quibus auctores illos, quos modo nominaui, non modo falſos & adulterinos, ſed nullius propemodum momenti fore confirmauimus. quapropter nonnulli, qui, tamquam veros & germanos, magnopere ſuſpiciebãt, & plus æquo admirabantur eos, nobis iraſci, & ſuccenſere cœperunt: idque (vt opinor) duabus potiſſimum de cauſſis, ſeu quod in ſermonibus quotidianis, qui fieri ſolent in circulis & conuiuijs, vel certe in libris editis, nonnulla tanquam argumenta ex eorum ſcriptis aſſumpſerint, quibus vel ſua defenderint, vel aliena oppugnauerint: ſeu quod nunquam diligenter & præparato otio in hoc leuiſſimum hiſtoricorum genus mentem intulerint, omnesque eius partes intentis oculis introſpexerint, quo ſuis ponderibus examinarẽt quæcunque illic narrantur, & ab Ioanne Annio horum auctorum ſtudioſo, & ſupra modum fautore explanantur. quam rem ſi aliquando, circumſpectis omnibus, perficere in animum induxiſſent, nec vllam fidem illis auctoribus habuiſſent, nec alios certe in ſimilem errorem adduxiſſent. Diuulgatis igitur Romæ lucubrationibus noſtris, accidit vt illuſtriſſimus Cardinalis M. Antonius Amulius, ob egregias artes, quibus excultus & perpolitus eſt, obq; ſingularem humanitatem, mores ſuauiſſimos, pluimaque alia ornamenta, quibus fouet & ornat literas literarumque ſtudioſos, nonnullos viros doctos & celebres, meque etiam (vt ſæpe ſolitus erat) ad prandium inuitaret: quo in numero erant duo vel tres epiſcopi, doctiſſimi atque ornatiſſimi viri. Ibi tum (vt fit) ſermonibus vltro citroque habitis, incidit mentio de Beroſo Chaldæo, quem illuſtriſſimus Cardinalis patrem fuiſſe dixit Sibyllæ Cumææ, vti legere erat apud Iuſtinum Martyrem, quæ ex Oriente profecta, eam Italiæ oram appulerat, ex qua illi poſteris temporibus nomen fuit, atque hinc oblata occaſione, inſtitutus eſt ſermo de noſtris cenſorijs notationibus, editis in quinque libros nomine Beroſi Chaldæi de antiquitatibus inſcriptos. Erat inter conuiuas quidam vir, nobilitate generis clarus & inſignis, literarumque doctrina ſane quam eruditus, tum vero in hiſtoriis (vt videbatur) ſatis exercitatus & inſtructus: qui legerat opuſcula mea omnia, tam Latine quam Luſitane ſcripta; & non parum homini diſplicuerat (vt ſatis oſtendit) iudicium meum de auctoribus illis, quos falſis titulis inſcriptos eſſe aſſerueram: quapropter improbare inſtituit rationes, & argumenta refellere, quæ ipſe aduerſus fictitium Beroſum collegeram: dicebat inſuper hos quinque libros, fragmenta eſſe, nõ iuſta volumina, quæ ab ipſo auctore fuiſſent compoſita, propterea nihil eſſe mirandum, ſi ea, quæ ex Be-

roſo narraſſent D. Hieronymus & Flauius Ioſephus, ceterique quos ipſe protuliſſem, minime in ipſis fragmentis reperirentur. Eleuare quoque cœperat auctoritatem ipſius Ioſephi & Agathij ceterorumque, ex quorum monimentis argumenta protuleram, aduerſus hunc vaniſſimum ſcriptorem. Ego vero quanquam imparatus contra paratum decertabam, tamen non nulla, quæ ſeſe mihi pro tempore obtulerant, dicere, cauſam meam defendere, ille modis omnibus impugnare, adeo vt totum tempus illud conuiuij, fere magna ex parte altercationibus conſumeretur. Quapropter ne videremur in his auctoribus iudicandis, ferri cæco potius temeritatis impetu, quam ſincero & conſtanti animi iudicio, decreuimus quoad fieri poſſit, non leuibus quidem, ſed firmiſſimis probationibus & argumentis (quod non arroganter dictum exiſtimari velim) oſtendere, eoſdem auctores non ſolum eſſe fictos & commentitios, ſed etiam nullius ponderis vel momenti; & dignos quidem illos, qui è medio tollerentur & funditus delerentur, vt, ſi adhuc in errorem induxere quamplurimos, ne id ipſum efficere poſſint amplius. Itaque primo qui vir fuerit Beroſus oſtendemus, deinde hos quinque libros, illi falſo aſcriptos, non eſſe fragmenta iuſti alicuius operis docebimus, tertio probabimus Chaldaicam illius hiſtoriam, ex qua multa Flauius Ioſephus & D. Hieronymus in ſua volumina retulerunt, & de qua Plinius & Agathius mentionem fecerunt, non eſſe hanc, quæ vulgo circumfertur, & ab Ioanne Annio Viterbienſe commendatur, ſuiſque interpretationibus illuſtratur: poſtremo nonnullis aduerſariorum obiectionibus reſpondebimus. Beroſus igitur Chaldæus, cum gens illa aſtrorum cognitione multum excelluiſſet, in aſtrologia facile princeps illis temporibus fuit, cui, ob prædictiones rerum futurarum, Athenienſes (vt auctor eſt Plinius) publice in gymnaſio ſtatuam lingua inaurata poſuere. & qui (ut Ioſephus refert) præter ea, quæ de aſtrologiæ atque Philoſophiæ diſciplinis Græce ſcripſit, ex annalibus ſuæ gẽtis ea decerpſerat, quæcunq; ſcitu digniora iudicauerat: ex quibus hiſtoriã cõtexuit Chaldaicã; quæ hiſtoria, propter ſummã hominis amplitudinem, eiuſq; exquiſitã multarũ rerum doctrinam, & ſatis illis temporibus probata, & magnã poſterioribus auctoritatem conſecuta fuerat. in qua multa prodidiſſe fertur, quæ Moyſes ſanctis literis mandauit: quemadmodum namque cataclyſmus, totum terrarum orbem ſubmergens, cunctos mortales deleuerit, præter paucos homines, naue ingenti, affabre in hunc vſum, & ſollerter ædificata, ſeruatos, vnde genus humanum repararetur. ſcripſit præterea Noei viri pientiſſimi progeniem, illorumque temporum decurſus & varietates, vſque ad Aſſyriorum

riorum Reges;quorum hiſtoriam adeo continenter texuit,vt bella,quę Rex Nabuchdonoſor aduerſusIudæos geſſerat,cum Hieroſolymorum vrbem,& eius templum penitus exciderat, infinitamque Iudæorum multitudinem captam Babylonem perduxerat:multaque alia,quæ in hiſtoria Iudæorum Regum traduntur,diffuſe narraret,vt locupletiſſimus teſtis eſt Flauius Ioſephus. Atque, hunc patrem fuiſſe Sibyllæ Cumææ, cum multi auctores prodiderunt,tum vel maxime ſanctusIuſtinus philoſophus & martyr, in calce Parænericæ orationis ad gentes,narrat,eandem Sibyllam,cum Babylone profecta eſſet,ad oras Campaniæ perueniſſe , ibique oracula edidiſſe in opido Cumarum,quod à Baijs ſexto lapide abeſt:quo in opido cum vir ſanctus aliquando fuiſſet , vidiſſe ſe præterea dicit locum quendam, in quo eſſet baſilica admirabilis ſtructuræ , ex vno ſaxo ædificata;qua in baſilica edere ſolitam oracula, narrabāt opidani,ſeq;in ea vidiſſe tres ciſternas, ex eodem ſcaturientes ſaxo,in quibus virgo ablui ſolita eſſet;vrnamque ex ære factā, qua eius oſſa adſeruabantur. Multaque narrat ſe illic conſpexiſſe,& multa ab opidanis intellexiſſe circa ea, quæ de Chriſti aduentu prædixiſſet. Floruit Beroſus paulo ante Magni Alexandri principatum.Verum illam tāti auctoris hiſtoriam , cum innumeris pœne illuſtrium virorum monumentis, nobis intercepit temporis iniquitas,præter pauca quædam , quæ apud D.Hieronymum, & eundem Ioſephum reperiuntur,& pleraque ab aliis auctoribus commemorata. Quę vero circumfertur,de qua modo controuerſia eſt,aut omnino adulterina eſt, ad ludificandos homines de induſtria compoſita , aut ab imperito quodam auctore ſcripta,& ab alio quopiam,ſuppreſſo, vel ignorato auctoris nomine , inſcriptione Beroſi falſo illuſtrata.Ac,priuſquam ad hanc diſputationem aggredior,viſum eſt, faciendum eos admonere, qui hæc noſtra ſunt lecturi , vt meminerint, quemadmodum in omnibus ſæculis inuenti ſæpenumero ſint,qui,nimia inducti diuitiarū cupiditate , gemmas pretioſiſſimas, herbarumq; medicinas,ac teſtamentarias tabulas,chirographa,eorumq; ſigna , & nummos etiam audaciſſime adulterauerint;ita non defuiſſe, qui, quadam importunitate,ſeu quouis alio animi morbo ducti,vel alienos libros ſcriptis ſuis,tanquam neuis inſperſis,contaminauerint,vel ſapientiſſimorum virorum nominibus inſcripſerint, vti factum fuiſſe exploratum ſatis eſt ab illo , qui carmina quædam à ſe inepte & ineleganter compoſita, adſcripſit Aemilio Macro, poetę,vt in illa ætate,illuſtrium ingeniorum altrice, graui,& ingenioſo : de quo Ouidij Naſonis ſunt hæc carmina:

Temporis

Temporis illius colui, fouique poetas,
Quotque aderant vates, rebar adeſſe deos.
Sæpe ſuas volucres legit mihi grandior æuo,
Quæque nocet ſerpens, quæ iuuat herba, Macer.

Quod ſi huiuſmodi fucus non alijs deprehenſus fuiſſet argumentis, quam quod ille, qui ſeſe in formam Aemilij Macri mutare tentauit, Plinij teſtimonio vſus fuit, hoc demum ad conuincendum hominē falſitatis ſatis ſuperque fuiſſet; quando ipſo Plinio ſuperior ætate Æmilius Macer fuerit, cuiuſque ſcriptis, in ſua hiſtoria naturali, multa probare, & confirmare ſolet Plinius. verum tanta eſt eius infantia, vt res in promptu ſit, nullaque egeat diſputatione. Simile mendacium cōfinxit, quiſquis ille fuit, qui de bello Troiano duo volumina confecit, quorum alterum Dicti Cretenſi, alterum Dareti Phrygio adſcripſit: vtque quandam veritatis ſpeciem præ ſe ferret figmentum, induxit quendam Q. Septimium Romanum, per literas cuidam Q. Arcadio ſignificantem, cum in Creta inſula, vi tempeſtatis, deſediſſet terra, apparuiſſe in illo hiatu Dictis ſepulcrum, in quo inuenta eſſet à paſtoribus arcula plumbea, quæ librum ipſius auctoris de bello Ilienſi, Phœniceis ſcriptū literis contineret; eundēq; poſtea dono miſſum fuiſſe C. Neroni, Romanorum Principi, quem ille in Græcam linguam vertendum curaſſet. Fecit præterea Cornelium Nepotem nobiliſſimum hiſtoricum, C. Criſpo Salluſtio ſcribentem, quo pacto liber autographus Daretis Phrygij de bello Troiano Athenis inuentus eſſet, quem, a ſe ex Græcis conuerſum, illi, tamquam munus quoddam mirificum, pro iure amicitiæ mitteret. Sed mirum plane, qualis hic Cornelius eſt, & quantum mutatus ab illo Nepote, Romanarum hiſtoriarum celeberrimo ſcriptore; ex cuius tanti & præclari ingenij monumentis, ſola T. Pomponij Attici vita, quam diligenter, & eleganter ſcripſit, temporis iniuriæ ſuperfuit. Iam illud ſatis conſtat, inter volumina Ariſtotelis philoſophi, pleraque opuſcula ſub falſa eius nominis inſcriptione circumferri. notiſſimum quoque id eſt, quod refert A. Gellius in Noctibus Atticis, ex centum & xx. Comœdijs, quæ ſub Plauti nomine vulgo ferebantur, vnam & viginti dumtaxat, quæ veram & germanam illius Comici effigiem retuliſſent, à M. Varrone ſelectas, eaque de cauſa Varronianas appellatas: cæteras autem tamquam e doctorum virorum ſcena exploſas, & exſibilatas eſſe. Nec modo, vt ſunt aliqua ad fallendum propenſiora, & paratiora hominum ingenia, hoc genus commenti hic ſe continuit, ſed, in ſacroſanctæ religionis volumina impie & atrociter irrumpens, euangelia commenticia elucubrauit; eaque ipſa ſanctiſſimorum Apoſtolorum nominibus illuſtrauit: cui malo ſanando, ne velut peſtis latius ſerperet, vir ſanctiſſimus Gelaſius, Pontifex

ſex Maximus, libros huiuſmodi, quos falſos & commentitios iudicauerat, lege ſcripta curauit ab omnibus bibliothecis extrudendos. quam legem hic duximus ſubiiciendam, vt melius intelligatur, quantum præpoſtera hominum ingenia fallacibus huiuſmodi, & fucoſis artibus delectentur. inquit enim:

In primis Ariminenſem Synodum, à Conſtantino Cæſare Conſtantini filio congregatam, mediante Tauro præfecto, ex tunc & in æternum confitemur eſſe damnatam, item Itinerarium Petri Apoſtoli, quod appellatur ſancti Clementis libri VIII. apochryphi. Actus nomine Andreæ Apoſtoli apoc. Actus nomine Philippi Apoſtoli apocryphus. Actus nomine Petri Apoſtoli apo. Actus nomine Thomæ Apoſtoli apo. Euãgelia Thadęi nomine apo. Euangelia nomine Thomæ Apoſtoli, quibus Manichæi vtuntur, apo. Euangelia nomine Barnabæ Apoſtoli, apo. Euangelia nomine Bartholomæi Apoſtoli apo. Euangelia nomine Andreæ Apoſtoli. Euangelia, quæ falſauit Hirtius apo. Liber de Infantia Saluatoris apo. Liber de Natiuitate Saluatoris, & de ſancta Maria, vel de obſtetrice Saluatoris, apo. Liber, qui appellatur, Paſtoris, apo. Libri omnes, quos fecit Lenticius, diſcipulus diaboli, apo. Liber, qui appellatur de filiabus Adæ, vel Geneſis, apo. Liber, qui appellatur Actus Teclæ & Pauli, apo. Liber Prouerbiorum, ab hæreticis tranſcriptus, & ſancti Sixti nomine ſignatus, apo. Reuelatio, quæ appellatur Pauli Apoſtoli, apo. Reuelatio, quæ appellatur Thomæ, apocryphus. Releuatio quæ appellatur Stephani, apo. Liber, qui appellatur Tranſitus ſanctæ Mariæ, apocryph. Liber, qui appellatur Pœnitentia Adæ, apo. Liber, qui appellatur Diogene, nomine gigantis, qui poſt diluuium cum dracone ab hæreticis pugnaſſe perhibetur, apoc. Liber qui appellatur Teſtamentum Iob, apo. Liber, qui appellatur, de pœnitentia Origenis, apo. Liber, qui appellatur Sors Apoſtolorum, apo. Liber Philologus, ab hæreticis conſcriptus ſed beati Ambroſij nomine præſignatus, apo. Epiſtola Ieſu ad Abagarum, apo. Phylacteria omnia, quæ non ab angelo, vt i li confingunt, ſed magis à dæmone conſcripta ſunt, apo. Hæc & his ſimilia, quæ Simon magus, Nicolaus Theruidas &c. non ſolum repudiata, verumetiam ab omni Romana Eccleſia eliminata, atque cum ſuis auctoribus auctorumque ſequacibus, ſub anathematis indiſſolubili vinculo, in æternum confitemur eſſe damnata, Pont. Max. Hæc Gelaſius. Sed quorſum hæc tot exemplorum prolatio ſpectat? quia in illa, quam ſupra memoraui, altercatione ſæpius argumentabatur aduerſarius, nec probabile, nec veriſimile videri, quemquam adeo nullius eſſe mentis, vt earum rerum labores ſuſciperet, ex quibus nullam ſibi prius ſpem, alicuius vel laudis, vel vtilitatis conſtitueret. quam enim (inquit) laudem aucupari, aut quem fœcundum quæſtum facere ſe poſſe arbitrarentur, qui similes

nugas non ſuo, ſed aliorum nomine conficerent? Verumtamen ego factum doceo, cauſas non exquiro: hoc ipſum viderint callidi rerum æſtimatores: tot enim ſunt deprauati animi vitia, tot humanæ mentis morbi, vt non ſemper omnium flagitiorum cauſas reperire liceat. Quid enim cenſemus hominem illum ad tantum facinus quondam impuliſſe, qui templum magnifici operis, ſubditis ignibus, cremare voluiſſet? an quandam animi impotentiam? fatebimur. ſed vanæ cuiuſdam laudis opinione deceptum, vt multi ſuſpicati ſunt? fortaſſe non ita. ſiquidem alia potuit ſubeſſe cauſſa: verum, vtrum hæc fuerit nec ne, nihil laboro: narrabo, quid acciderit Vliſſipone eodem anno, aut paulo poſt, quam inclytus Portugalliæ Rex Emanuel Indiam ſubegerit. Florebat illa tempeſtate in poetica laude Hermicus Caiadus, homo Luſitanus, Angeli Politiani quondam auditor, & diſcipulus; cuius eſt Epigrammatum libellus. Is Latinis carminibus commentus fuerat Sibyllinam vaticinationem, in columnis marmoreis inciſam, quæ per ambages ſignificabat, Indos ſub imperium, & ditionem Luſitanorum eſſe venturos; eoſque lapides data opera detruncatos, vt aliqua ineſſent antiquitatis veſtigia, obrui præcepit in extremitate promontorij Artabri, prope Syntram opidum. vbi vero defoſſa marmora aliquod vitium feciſſe, ex humore terreno, iudicauit, ad certam diem, ſimulata delectationis cauſa, inuitat amicos in villam ſuam, quæ proxima erat loco, vbi obrutum latebat vaticinium. Cum igitur accubuiſſent omnes, ecce villicus nunciat Hermico, mercenarias eius operas, dum in fundo foſſionibus incumberent, incidiſſe in lapides, in quibus inſcriptæ eſſent literæ, indices magni cuiuſdam theſauri, eodem loco defoſſi. ſic enim ruſtici opinabantur. Nec mora, omnes ſimul, alacritate ingenti, relictis epulis, accurrunt, defoſſas intuentur columnas, confeſtimque extrahi iubent. in quibus inciſa huiuſmodi erant carmina Sibyllina.

Sibyllæ vaticinium, occidijs decretum.
Voluentur ſaxa literis, & ordine rectis
* *Cum videas * occidens Orientis opes.*
Ganges, Indus, Tagus erit, mirabile viſu
* *Merces commutabit * ſuas vterque ſibi.*
SOLI ÆTERNO, AC LVNÆ
decretum.

TVm vero omnes, pro ſe quiſque, legere, admirari, verſus illos fatidicos venerari, manu tangere, exoſculari. quid multa? continuo Vliſſiponem ad Regem, iam antea Sibyllini commenti conſcium, perferuntur, qui, mirabundo ſimilis, optimatibus oſtendere, illi deſcribendum curare, in ſcrinijsq; veluti ſacrum quoddã reponere. Cum vero res percrebuiſſet,
atque

atque in ore, & ſermone omnium eſſet, ad peregrinos mercatores, qui Vliſſipone negotiabantur, delata eſt. ij continuo vaticinium in Galliam & Germaniam ad viros principes mittunt. illi vero ſtatim, ac diligenter cum hac præfatione cuiuſdam Valentini Moraui, typis excudendum tradunt.

Valentinus Morauus D. Hieronymo Monetario, Nuribergenſi.

Anno à natiuitate domini M. D. V. nona vero die Auguſti, regnante Emanuele Rege excellentiſſimo Portugalliæ, regni autem eius ſui anno 13. in vltimis ſuæ vlterioris Hiſpaniæ finibus, verſus Solis Occaſum, in calce Lunæ promontorij, quod Rocham de Syntra vulgus appellat, ſecus maris Oecani litus, tres ſub terra ex inſperato compertæ fuerunt ex ſaxo columnæ quadrata forma, Priſcis temporibus, characteribus Romanis, vna tantum quadra inciſis; quarum baſis recta, ordine immutato, paululum in caput erigebatur. Caput vero proprium ex induſtria (vt apparebat) defixum ſuſpeximus, euulſiſque ferro, & arte defoſſis lapidibus, quibus præfatæ mirandæ columnæ ſubtus alligabantur, tandem in earum vna, iam directe conuerſa, has figuras liquido annotauimus. nam, aliarum literas in lucidum explicare, non ſatis nobis fuit integrũ; quia temporum vetuſtate, ac maris imbribus, & afflatu erant pœne conſumptæ. Hæc ille. Ita Sibyllina fabula vires acquirit eundo, ac tandem per totum terrarum orbem diuulgata, fides ei vbique, & auctoritas adiungitur; hodieque typis excuſa circumfertur in fronte Codicis, cui titulus eſt Inſcriptiones antiquæ. Hæc iccirco recenſere viſum fuit, vt intelligatur, quantum huiuſmodi nugis humanus capiatur animus, etiam ſi nihil inde commodi, vel vtilitatis aliud ſit conſecuturus, præter inanem, quam ſibi proponit, laudis opinionem, de inutili commento, ad ludificandos mortales excogitato. ſimiliter illi, qui tot commenticios libellos ſunt elucubrati, ſuas vnuſquiſque habuere cauſas Alij namque, ſuperſtitioſa, & anili forte quadam ducti pietate, de infantia Saluatoris deque Pauli, & Stephani reuelationibus, & de Adæ pœnitentia ſcripſerunt hiſtorias; Alij, veteratoria fraude, & verſuta nocendi ratione, nomine Sixti, & Ambroſij, confinxere volumina, & ſanctiſſimorum Apoſtolorum inſcriptionibus, non modo inutiliter, ſed impie, & irreligioſe falſa architectati ſunt Euangelia; Nonnulli, inanis laudis ſtudio decepti, vt ſunt infantes & inſipientes homines, fictitios libellos anicularum lucubrationibus perſimiles exararunt: cuiuſmodi eſt ineptum, quod vulgo circumfertur, poema Aemilij Macri, ceteraque (quorum modo

modo mentionem feci) Daretis Phrygij, ac Dictis Cretenſis, Beroſi, Manethonis, Fabij Pictoris, Catonis de Originibus volumina; de quibus nunc eſt diſputationis noſtræ contentio; quare iam mirari deſinamus, fuiſſe, qui ſua pro alienis ſcriptis venditauerint quando tot præclaris auctorum teſtimoniis ad ipſum planum nunc factum ſit. Ac priuſquam ad eum locum venio, qui eſt proprius huius quæſtionis, vtrum ij quinque libri ſint fragmenta iuſtorum voluminum, nec ne, non ſum arbitratus alienum fore, aliquot tractare rationes & argumenta, quibus appareat, etiam ſi fragmenta fuiſſent, (vt ipſi volunt) ea tamen non eſſe ex hiſtoria Chaldaica veri, & germani Beroſi. Etenim, ſi quis vltra titulum huius hiſtoriæ, mentis aciem intendere, ac ſubductis rationibus æqua lance examinare in animum induxerit, omnia, quæ in ea continentur, iam profecto multa contraria, nonnulla repugnantia, pleraque recentiora, & à notitia illius ætatis, qua vixerit Beroſus, longo temporis interuallo diſiuncta, facile deprehendet. nam iunior Beroſus aliquando dicit, quod ſuperior Beroſus negat, ait namque, Semiramim Reginam, Babylonem, ex opido ignobili, & exiguo, maximam, & ampliſſimam effeciſſe vrbem, adeo, vt illam ædificaſſe potius, quam amplificaſſe, videretur, Quarto (inquit) loco regnauit apud Babyloniam vxor Nini Aſcalonita Semiramis, annis quadraginta duobus. Hæc anteceſſit militia, triumphis, diuitiis, victoriis, & imperio, omnes mortales. Ipſa hanc vrbem maximam ex opido fecit, vt magis dici poſſit, illam ædificaſſe, quam ampliaſſe. Nemo vnquam huic feminæ comparandus eſt virorum: tanta in eius vita dicuntur, & ſcribuntur, cum ad vituperationem, tum maxime ad collaudationem magnifica. Hęc ille. Beroſus autem ſuperior dicit, non eam quidem vrbem exædificaſſe, vel magnificis operibus exornaſſe Semiramim, vt Græci mentiebantur ſcriptores, verum Nabuchodonoſorum Regem tanti operis auctorem fuiſſe. verba autem ipſius Beroſi, quæ à Flauio Ioſepho ex Chaldaica illius hiſtoria referuntur, ſubiicienda duximus, vt lectoris mentem ad pleniorem intelligentiam, & cognitionem traducant. Nunc itaque (inquit Ioſephus) dicenda ſunt ea, quæ apud Chaldæos noſcuntur eſſe conſcripta, & de nobis in hiſtoria ſunt relata, quæ multam habent concordiam cum noſtris voluminibus, etiam de aliis rebus. Teſtis horum Beroſus, vir genere quidem Chaldæus, notus autem eis, qui doctrinæ, eruditionique congaudent: quoniam de aſtronomia & de Chaldæorum philoſophia, ipſe Græcas conſcriptiones edidit. Igitur Beroſus, antiquiſſimas ſecutus hiſtorias, de facto diluuio & hominum in eo corruptione, ſicuti Moyſes, ita conſcripſit, ſimul & de Arca, in qua generis noſtri princeps ſeruatus eſt, deuecta ea in ſum-

mitatem montium Armeniorum, deinde, ſcribens eos, qui ex Noe progeniti ſunt, & tempus eorum adiiciens, vſque ad Nabulaſſarum peruenit, Babyloniorum, & Chaldæorum Regem: & in huius actiones exponens, narrat, quemadmodum miſit Aegyptum, & ad noſtram terram, filium ſuum Nabuchdonoſor cum multa potentia, qui, dum rebellantes eos inueniſſent, omnes ſuo ſubiecit imperio, & templum in Hieroſolymis concremauit cunctumq; generis noſtri populum auferens, migrauit in Babylonem, vnde ciuitatem contigit deſolari annis lxx. vſque ad Cyrum, Perſarum Regem. Dicit autem, quod tenuerit Babylonius Aegyptum, Syriam, phæniciã, Arabiam, vniuerſos priores Chaldæorum, & Babyloniorum Reges, actionibus ſuis excellens. ipſa vero verba quæ Beroſus protulit hoc modo dicta, neceſſario proferenda ſunt. Audito autem pater eius Nabulaſſarus, quod Satrapa cõſtitutus in Aegypto, & Syria inferiore, & Phœnicia rebellaret, cum non valeret iam ipſe labores ferre, tribuens filio ſuo Nabuchdonoſori ętate vallenti, partem quandam exercitus contra eum miſit. Nabuchdonoſor autem, cum ſatrapa deſertore congreſſus, prouinciam, quæ ab initio eorum fuerat, ad proprium reuocauit imperium. Eodem vero tempore contigit, patrem eius Nabulaſſarum, cum ægrotaſſet in Babylonia ciuitate defungi, qui regnauit annis xxix. Nabuchdonoſor autem, non poſt multum tempus mortem patris cognoſcens, & negotia Aegyptiaca diſponens, reliquarumque prouinciarum, & captiuos Iudæorum, & Phœnicum, atque Syrorum, qui in Aegypto fuerant, commendans quibusdam amicis, vt cũ exercitu, & impedimentis perducerentur ad Babyloniam, ipſe, cum paucis iter aggreſſus, per deſertum Babylonem venit, reperienſque cuncta à Chaldæis diſpenſari, ſeruatumq; regnum ab optimatibus eorum, Dominus factus totius paterni Principatus, captiuis quidem aduenie͂tibus, præcepit habitacula in opportuniſſimis Babyloniæ locis ædificare, ipſe vero ex manubiis templum Beli, ac reliqua munificentiſſima excoluit, & veteri vrbi alteram extrinſecus adiecit: &, prouiſo, ne poſt hac poſſent homines fluuium conuertere, ad vrbem accedere, tres interiori ciuitati per circuitum muros, totidem exteriori, hoc cocto latere, illos addito etiam bitumine circumdedit. Tum ſic cõmunitas portas, quæ vel templum deceant, addidit. Ac hoc, iuxta paternam Regiam, alteram ſumptuoſiore͂ multo, ampli oremq; exſtruxit: cuius ornatum exponere fortaſſe lõgum eſſet. Illud memoratu dignũ, quod hæc adeo ſuperba, ſupraq; fidem magnifica, quindecim dierum ſpatio perfecta eſt. in ea lapideas moles excelſas excitauit, aſpectu mõtibus aſſimiles, omniq; genere arborum cõſitas. Hortum quoq; penſile͂ fecit, fama nobilem, eo quod vxor eius montanum proſpectũ deſideraret,

deraret, in Medorum regione educata. Hucuſq; Beroſus, deinde Ioſephus adiicit. Hæc itaque retulit de prædicto Rege, & multa ſuper hæc in libro Chaldaicorum; in quo culpat cõſcriptores Græcos, quaſi vane arbitratos, à Semiramide Aſſyria Babylonem ædificatam, & mira opera ob illa circa eam fuiſſe conſtructa, falſe conſcripſiſſe dicens. Ipſam certe Chaldaicam conſcriptionem fide dignam exeſtimandum eſt, quando cum archiuis Phænicum concordare videntur, quæ ex Beroſo conſcripta ſunt de rege Babyloniorum; quoniam & Syriã, & vniuerſam Phæniciam ille ſubuertit. Hæc Ioſephus. Nunc videamus, ſi firmiore opus eſſet argumento, ad docendum longe aliam eſſe hiſtoriam, quæ vulgo circũfertur, ac fuit illa Chaldaica, quam Beroſus olim compoſuiſſe fertur. Quod ſi cõtraria ſunt, cum alterũ quis ait, alterũ negat, (vt recte dixit quidam) nonne facile intellectũ eſſet, Beroſum, ſatis ſecum ipſum pugnantẽ, minime cohærentia, & maxime inter ſe cõtraria narraſſe, ſi in vna eadẽq; hiſtoria dixiſſet, Semiramim ædificaſſe vrbem illã nobiliſſimam, magnifico ædificiorũ, & ornamentorũ apparatu; ac mox Græcos hiſtoricos mẽdacij arguendos exiſtimaſſet, quod id ipſum affirmauiſſent? O præclarũ rerum ſcriptorẽ, qui, ipſam veritatis lucẽ, teſtemq; temporum hiſtoriã, diuerſis, & pugnantibus inter ſeſe narrationibus deformaſſet, quis iſtuc ipſum affirmare auſus eſſet? Beroſum, cuius excellenti, atq; multiplici doctrinæ tot ſummi ac pręſtãtes viri grauiſſima teſtimonia dediſſent, Athenienſes ſtatuã publice locauiſſent, hiſtoriæ leges, quarũ prima eſt, ne quid falſi dicere audeamus, vel neglexiſſe, vel ignoraſſe? atq; decorũ illud, quod in omni rerum actione verſatur, prætermiſiſſe? Quod autem Nabuchdonoſor Babylonem ædificiorum ſplendore illuſtrauerit, vt Beroſus aſſeruit, teſtantur quoq; diuinæ literę apud Danielem Prophetam. Cum enim Daniel ipſi regi prædixiſſet, quæ ei iam iamq; impenderent mala, reſpondit Danieli, Nonne hæc eſt Babylon ciuitas magna, quã ego ædificaui in dominũ regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? nec enim omnes hiſtorici dicunt, Reginã Semiramim hanc vrbẽ vel ędificaſſe, vel magnificis operibus nobilitaſſe. nam Curtius, in eius mentionẽ incidens, inquit: Semiramis eam condiderat, vel, vt pleriq; credidere, Belus, cuius Regia oſtenditur. Nam de hortis pẽſilibus eadem narrat, quæ Beroſus. inquit enim: Syriæ Regem Babiloniæ regnantem, hoc opus eſſe molitum, memoriæ proditum eſt, amore coniugis victum, quæ deſiderio nemorum, ſiluarumq; in campeſtribus locis virũ compulit amænitatem naturæ genere huius operis imitari. Hæc ideo commemorare volui, ne aduerſarius ipſi Ioſepho, vel Beroſo obiicere vanitatem poſſet. Mitto, quod Beroſum, ea modo narrantẽ de Rege Nabulaſſaro,

deq;filio eius Nabuchodonoſoro, & vtriuſque geſtis audiuimus, quæ apud iuniorem Beruſum non ſunt: quoniam de iis alius erit differendi locus. Sed ad illud nunc pro ſe quiſq; diligenter aduertat animum, quam vim habeat ſemel cõcepta, & penitus inſita opinio. Cum celebre nomen Beroſi, & aliorum trium auctorum, Manethonis, Fabij Pictoris, & Porcij Catonis vſq; ad noſtram ætatem beneficio hiſtoriæ viguiſſet, propter ſingulare doctrinæ preſtantiã, quæ maxime floruiſſent, multi, non vltra titulum mentis aciem intendẽtes, librorum indicibus decepti ſunt, præſertim cũ nulla adhuc orta eſſet ſuſpitio falſitatis? Acceſſit ad hæc iudiciũ Ioannis Annij Viterbienſis, qui primus horũ auctorum cõprobator, ipſos nõ modo in cælum extulit, verum, licet adumbratis interpretationibus, vtcunq; tamen illuſtrauit, eorumque ſcripta teſtimoniis poetarum, hiſtoricorũ, geographorum, & philoſophorum, ſiue recte, ſiue perperã intellectis, confirmare, ſumma contentione laborauit. Quibus rebus effectum eſt, vt iam non mediocrem vulgo auctoritatem conſequerentur: adeo, vt multos, quanquam doctrina præſtantes, viros falleret hæc cõmunis perſuaſio, & late peruagata, atq; penitus inſita opinio; omnesq; velut aditus illis intercluderet, & idoneam occaſionem tolleret inquirendi in auctores, qui has feciſſent fabulas, quanquam iã inde ab initio minime placuiſſent aliquibus viris dictis, qui, iudicium interponẽtes ſuum, hos duos auctores, Beroſum, & Catonem, falſitatis condemnarunt: quo in numero fuere M. Antonius Sabellicus, Raphael Volaterranus, Iacobus Faber Stapulenſis, Ludouicus Viues Valentinus, & Beatus Rhenanus. Cum igitur pro veris & germanis haberi cœpti eſſent, & maior in dies illis auctoritas accederet, & fides adiungeretur, fit, vt, qui ſemel in eorum verba iurarũt, aut nullatenus, aut difficillime aſſentiantur veritati. nam, cum ſatis multa à Flauio Ioſepho, à D. Hieronymo, & nonnulla à Plinio, & Agathio ex hiſtoria ſenioris Beroſi decerpta cõmemorari docuerimus, quæ apud iuniorem Beroſum minus reperirentur, tunc huc, & illuc tergiuerſantur aduerſarij, at poſtquã ipſi, vi argumentorum adſtringuntur, atq; manifeſto tenentur, ſtatim, angullarum more, è manibus elapſi, ad fragmentorum nomen, tãquam ad arcem munitiſſimam, confugiunt. dicũt enim, vt iam ſignificaui, hos quinque libros fragmenta quædam eſſe, non iſta volumina, Beroſi. Cum vero in ipſis ſuis, vt vocant, fragmentis, deprehenderimus, iuniorem Beroſum aliqua narraſſe, quæ ſuperior Beroſus apud Ioſephum ficta, & commenticia eſſe dixerit, ac propterea Græcos hiſtoricos reprehenderit, quod talia ſcripſerint, tunc eiusdẽ Ioſephi auctoritatẽ labefactare, & cõuellere nitũtur, quo quid importunius, aut puerilius, ſeu quid magis ridiculũ fingi poteſt? nõne

ſua ipſorum tergiuerſatio clariorem facit veritatem, quando, fracti, & debilitati, totisq; viribus deſtituti, tamen nimium pertinaciter cauſſam iniuſtiſſimã defendere nituntur? Quanquam ego ſatis intelligere non poſſum, quid in Ioſepho contemnendum putent, vt eius auctoritati ſic derogare audeant. quem, omni diſciplinarũ genere excultum, & Græcis literis in primis eruditum fuiſſe, teſtentur doctiſsima, quæ Græce ſcripſit, volumina; multarum rerum doctrina, & varietate diſtincta: quæ volumina Veſpaſianus Imperator propterea in publica bibliotheca reponenda, ipſiq; Ioſepho ſtatuamfaciendã, & publice locandam curauerit, vt auctor eſt D. Hieronymus, quiq; adeo leges hiſtoriæ coluit, vt, quãquam genere Iudæus eſſet, & ideo à Chriſtiana religione abhorreret, clariſſimum tamen, & grauiſſimum de Chriſto Deo, deque Ioanne Baptiſta dederit teſtimonium, ne veritatem occultare, & hiſtoriæ fines tranſire videretur. quos enim, Deus bone, Græcos auctores, cuiuſcunque facultatis, ſiue poetas, ſiue oratores, ſiue hiſtoricos, ſiue philoſophos non diligenter euoluit? vt ſatis oſtendunt opuſcula, in Appianum Alexandrinum edita, & hiſtoriæ bellorum, & antiquitatum Iudaicarum, tam docte, tam ornate, & tam eleganter ſcriptæ. de quo præclarum exſtat D. Hieronymi elogium, in eo libello, quem de ſcriptoribus illuſtribus compoſuit. Sed de his hactenus. Ad vlteriora vero tendentes, oſtendamus, ſuperiorem Beroſum multis ætatibus præcurriſſe iuniorem, vt ea, quæ hic literis mandauerit, ille nullatenus ſcire potuiſſet. exploratum enim eſt, & multis nobilium ſcriptorum teſtimoniis comprobatũ, Lugdunenſem Galliam, quæ prius Celtica vocaretur, ſic appellari cœptam à Lugduno, ampliſſima, & copioſiſſima Galliarum vrbe, & ciuium Romanorum Colonia, & omniũ Lugdunenſis prouinciæ vrbiũ omnino principe: quam, teſte Plutarcho, L. Munatius, Plancus, imperator, & vir conſularis, condidit. inquit enim: Itaq; horum conſiliis perſuaſus, Hannibal Caſtra mouit, & per ripam Rhodani, aduerſo flumine, profectus, paucis diebus peruenit ad locum, quem Inſulam Galli appellant. hanc Arar, & Rhodanus amnis, ex diuerſis montibus confluentes, efficiunt; ibiq; nunc Lugdunũ eſt, celeberrima Galliæ vrbs, quam longis poſtea temporibus à Planco Munatio conditã fuiſſe, accepimus. Hæc Plutarchus. Hunc Ciceronis fuiſſe diſcipulum, ſcribit Euſebius, Cæſarienſis epiſcopus, in Chronicis, & eandem vrbem condidiſſe. Munatius, inquit, Plancus, Ciceronis diſcipulus, orator habetur inſignis, qui, cum Galliã Comatam regeret, Lugdunum condidit Illum nos fuiſſe cenſemus, ad quem multę ſunt Ciceronis, & eius ad Ciceronem epiſtolæ, cũ Plancus ipſe, ſuſceptis aduerſus Antonium Reip. partibus, Galliam prouinciam cum

imperio obtinuiſſet. Quod vero Lugdunenſis Gallia nomen inuenerit ab ipſa vrbe Lugduno, auctor eſt Stephanus in libris quos de Vrbibus ſcripſit. dicit namq;: Lugdunum emporiũ eſt totius Galliæ Celticæ longe celeberrimum, à quo ea pars Galliæ Lugdunenſis dicta eſt à L. Munatio Planco, dũ Galliæ Comatæ preęſſet, conditum, in colle, ſupra confluentem Rhodani, & Araris imminẽte; vbi etiam hodie nõ obſcura antiquę vrbis extant veſtigia. Hæc Stephanus. Sed hodie in loco plano ſita eſt vrbs hæc nobiliſſima, quã magna ex parte circumfluunt Rhodanus, & Araris amnes. Adiicit etiam Strabo, Cæſarem Auguſtũ voluiſſe, vt hęc vrbs totius eſſet prouincię Lugdunenſis primaria. At enim, inquit, Cæſar Auguſtus qua drifariam partiens, Celtes quidem Narbonenſis prouinciæ definit, Aquitanos vero, quos & ille ſane extollens, inſuper decem adiecit gentes, ex iis, quæ inter Garumnam, & Ligerim fluuium colunt: Reliquam dupliciter partiuit, Vnam quidem Lugduno applicans, vſque ad ſuperiorem Rheni plagam; alteram Belgis. Et alibi: Poſt Aquitanicam vero partem, ac Narbonenſem, alia deinceps eſt ab Ligeri fluuio, ac Rhodano vſque ad Rhenum, eo delatus à fonte, ad Lugdunũ Rhodanus Ligeri coniungitur. Huius autem regionis partes ſupernæ ad Rheni, ac Rhodani fontes vſque ad medium fere camporum Lugdunẽſi ditioni additæ ſunt. Hæc Strabo. Quare nemini mirum videri debet, C. Cæſarem, nullam huius nominis mentionem in Galliæ diuiſione feciſſe. quippe quod nec dum id tẽporis vrbs Lugdunũ condita fuerat: à qua poſteris temporibus nomen traxiſſe Lugdunenſem Galliã auctores, quos modo nominaui, prodidere. Expoſuimus, vnde & quo tempore initium huius nominis ortũ ſit: videamus nunc, qui fieri poterat, vt Beroſus, qui Plancũ ipſum, Lugduni conditorẽ, multis anteceſſerat ætatibus, hoc nomine, quod nuſquã erat id tẽporis, vteretur? ſi nec Cęſar, qui proximus ante Lugdunum conditã fuit, in Cõmentariis belli Gallici hoc vocabulo prouinciam nominauit? Quod ſi tẽpeſtate illa, nomen hoc omnino inauditũ, & incognitũ, nec propterea huic prouincię impoſitum fuerat, intelligitur, auctorem hunc qui quendam Lugdunum cõmentus eſt, à quo Lugdunenſem Galliã nomen traxiſſe aſſerit, non eſſe Beroſum Chaldæum. ſic enim narrat. Duodecimo vero anno Mãcalei apud Ianigenas regnat Kitim, relicto in Celtiberis rege filio Sicoro. Eiuſdem Mancalei temporibus apud Tuiſcones regnat Hercules Alemanus, apud Celtas Lugdus; à quo prouincia & homines cognomẽta ſumpſerunt. Hæc ille. Vidimus hunc mulgentem hircum. Intueamur nunc Anniũ, eius interpretẽ, cribrum illi ſupponentem; vt in vtrumq; ſcite dixit Beatus Rhenanus. Lugdus eſt, inquit, qui incoluit Lugdunenſem prouinciã, vt nomen eſt argumento.

Quod

Quod vero ait ab eo cognominatam fuiſſe prouinciam,& homines, ita intelligendum eſſe exiſtimo, vt prouinciam intelligat totam partem Lugdunẽſem, homines autem Ludouicos dictos, quos poſtea, g, ablata Ludouicos dixerunt. Hæc Annius. Atqui operæprecium eſt animaduertere ſingularẽ hominis leuitatem, & inſignem temporum ignorantiam, cui non occurrerint tot ſæculorũ ætates, quot inter Beroſum, & Francorum reges Ludouicos fuerint interiectæ? qui tẽporum ordines: eorumq; decurſus & varietates diſtinguere neſciuerit, rerum humanarũ cõmutationes, ac diſſimilitudines nõ viderit, hiſtorias tã turpiter ignorauerit. Sed ad ſuppoſiticiũ Beroſum reuertamur. Ego certe adduci non poſſum, vt credã, eſſe aliquem in tanta mentis cæcitate depreſſum, qui ex hoc manifeſtiſſimo. & apertiſſimo loco, (etiam ſi veritas ipſa, cuius magna vis eſt, fimiora huic cauſiæ non ſubminiſtraſſet argumenta) non intelligat, hunc auctorem infinitis prope ſæculis poſt Beroſum Chaldæũ, & multis annis poſt Lugdunũ conditam vixiſſe. Simili figmento luſit adulterinus Cato de Originibus, qui quendã nobis Medum principẽ Inſubrium cõmentus eſt. à quo, quod Mediolanum, vt ipſe confirmauit, inſtaurãdum curaſſet, nomen inueniſſe hanc vrbem ſcripſit: quã rem fieri non potuiſſe, vt Cato Portius ſcriberet, oſtendimus in quadã cenſura, quam in illum cõmenticium Catonem iampridẽ edidimus. Mitto quod Beroſus in ea vixit ætate, in eaq; orbis terrarũ parte, in quibus homines, vt mox docebimus, nullã autẽ perexiguã regionum ſcientiam, Hiſpaniæ præſertim, fuerant conſecuti. Quod ſi hic auctor, poſtquã pars illa Tranſalpinæ, Galliæ, nouo Lugdunenſis nomine appellari cœpta eſt, hiſtoriã ſcripſit, vt ſatis conſtat: quo modo huius nominis aliã prodidit originem, ac cæteri auctores prodidere, & de qua nullus, præter ipſum, quidquã retulit? an quia à Lugduno ductũ id nomen penitus ignorauerit? nec auctores diligẽter euoluerit? at hoc ipſum ſatis oſtẽdiſſet hominẽ indoctũ, & rerum, ad hiſtoriã pertinentiũ, ſatis imperitum. An quia veriorem alterã opinionẽ iudicauerat? quo modo ergo, ſi cõtrouerſum id eſſe ſciebat, ſilentio præteriuit? ac rationibus, & ſcriptorũ teſtimoniis minus ſententiam animi ſui confirmauit? aut quo modo alij hiſtorici, tam Græci, quam Latini, quorum modo mentionẽ feci, qui illũ longe, multũq; doctrina, eruditione, & eloquentia ſuperarunt, nullã omnino huius Lugdi mentionẽ, ſed ne tenuiſſimã quidem ſignificationem fecere. nam, ſi aliquã notitiam habuiſſent, vtcunq; certe ſignificaſſent, vt auctores ſolent varias de rebus controuerſis opiniones proferre, ac tũ vel rationes probabiliores exquirere, vel iudiciũ lectoris integrũ relinquere. quid igitur cauſſæ fuiſſe cẽſebimus, cur ne Straba, nec Stephanus, nec Plutarchus, nec Euſebius Cęſarieſis, ne calij

quos longum eſſet recenſere, doctiſſimi rerum ſcriptores, longeq; diligentiſſimi antiquitatis inueſtigatores, qui poſt Beroſum floruerunt, nec Plinius, qui de eius hiſtoria nonnulla retulit, de hoc Lugdo, à quo Lugdunenſis Gallia nomen habuiſſet, quidquam meminerint, niſi quod hic auctor poſt tantorũ virorum ſæcula, hanc ineptiſſimam hiſtoriam cõpoſuit. Quare iam ſatis arbitror conſtare, vel ex hoc ſolo argumento, non modo hunc verum non eſſe Beroſum, ſed etiam obſcurum, ignobilem, ineptum, ac nullius ponderis, vel auctoritatis ſcriptorem. Extat præterea locus Agathij, Græci auctoris, per ſeſe clarus, & apertus, qui bene indicat, auctorem hunc nõ eſſe Beroſum Chaldæum. vtq; rectius id ipſum diiudicari poſſit, verba ipſius Agathij prius ſubiiciẽda exiſtimamus. Inquit itaque: Sed huius tẽporis Perſæ priſcos montes omnes fere omiſerunt, & perinde iam euerterunt, alieniſq; legibus, tãquam adulterinis, vtuntur, ex Zoroaſtris deſumptis Oriſmadæi diſciplinis. Is autem Zoroaſter, ſiue Zarades (nam duplici vocitatur cognomine) quo tempore in principatu floruerit, & tulerit leges, ſatis clare internoſci non poteſt. Perſæ nãq; noſtræ huius ætatis, Idaſpis tẽporibus ſimpliciter tamen hunc fuiſſe affirmant: ita vt in ambiguo ſit, nec ſatis plane dignoſci queat, vtrum Darij pater, an alius quiſpiã is fuerit Idaſpes. Sed, quouis ille floruerit tẽpore, magiſter tamen & Perſis fuit, & magici ſceleris adinuentor, qui, priſco ſacrorũ ritu mutato, promiſcuas quaſdam, & varias opiniones induxit. Siquidẽ vetutiores illi Iouem, Saturnum, & huiuſmodi cęteros, apud Græcos quoſdã percelebres, vt deos, venerabantur; cũ alioqui cognomenta ſeruarent. nam Iouam Belũ dicebant, Herculem Sandem, Anaitida Venerẽ, & alios item aliter vocitabant; quẽadmodum Beroſus Babylonius, & Athenocles Symmachus, qui Aſſyriorum, Medorumq; res antiquiſſimas conſcripſerunt, in hiſtoria produnt. Hæc Agathius. Is autẽ iunior Beroſus dicit, Chamum, Noemi filium, fuiſſe Zoroaſtrem Bactrianorum regem, quem omnes hiſtorici principem, & inuentorẽ magicæ artis extitiſſe, confirmant. atq; fabulæ adiicit quædam poetarum portentis ſimilia, quod, cũ ebrius humi iaceret Noemus, Chamum patris virilia manibus ſacrilegis turpiter attrectata, illi vim generandi magicis carminibus penitus abſtuliſſe, eo quod Noemus pluris, quã ipſum Chamũ, cęteros filios feciſſet. Sed ipſum iam hęc narrantem audiamus. Erat illi, vt diximus, filius ex tribus primis adoleſcentior Cham, qui, ſemper magicæ, & veneficæ ſtudens, Zoroaſt nomen conſecutus erat. Is patrem Noam odio habebat, quia alios vltimo genitos ardẽtius amabat, ſe vero deſpici videbat. Potiſſime vero idẽ infenſus erat patri ob vitia, itaq; nactus opportunitatem, cum Noa pater madidus iaceret, illius virilia comprehendens, taciteq;
ſubmurmur-

ſubmurmurans, carmine magico patri illuſit, ſimul & illũ ſterilem perinde, atq; caſtratum effecit; nec deinceps Noa femellam aliquam fœcũdare potuit. Hęc ille in libro III. At vero in V. Sextus, ait, Babyloniæ rex Arius regnauit annis. XXX. qui adiecit imperio omnes Bactrianos, nam paulò ante mortem Nini, Cameſenus, pulſus ab omni ferme orbe, in Bactrianos ſeſe cõtulerat, & illos magico præſtigio ſibi deuinxerat; adeo, vt apud illos maximis viribus imperaret. Coacto autẽ Cameſenus maximo populorum exercitu inuaſit Aſſyrios, contra quẽ Ninus dimicans ſuperior fuit, & Cameſenum obtruncauit: inde paulò poſt ipſe obiit, quare Arius, collecto exercitu, poſt patris Nini obitum, Bactrianos, & omnes Caſpios ſubiecit. Hactenus ille. Nunc autem diligenter velim lector expendat, ſi Agathius, qui Beroſum Chaldæum teſtẽ citauerit, vt paulò ante vidimus, apud eum legiſſet, Chamum, Noemi filiũ fuiſſe Zoroaſtrẽ; qui cum ob ſcelerum, & flagitiorũ turpitudinem, à patre fuiſſet ablegatus, ad Bactrianos ſeſe contuliſſet; poſtea vero quã eos magicis artibus domuiſſet, coacto robuſtiſſimo exercitu, Aſſyrios inuaſiſſet; à Ninoq; tandem, ſexto Babyloniorum rege, victus, ac profligatus eſſet: qui fieri poterat, cum dubitaſſe, quanã ætate, quibuſue tẽporibus Zoroaſtres floruerit? nonne ex eiſdem Beroſianis libris ſatis intellexiſſet, & quo patre ſatus & quibus artibus ad imperiũ adſpiraſſet, & quæ bella geſſiſſet, & à quibus tandẽ ſuperatus, & occiſus fuiſſet? quo modo igitur non hæc omnia ipſe animaduerterat Agathius, qui Beroſum euoluerat? niſi quod Beroſus vtiq; non illa narrauerat? Si enim retuliſſet, nihil dubiũ eſt, quin Ioſephus, qui tantum Beroſo tribuerit, cũ Noemi res geſtas, eiuſque, atq; liberorum ſoboles, & coloniarum benedictiones, in longinquas terrarum oras ob eiſdem ipſis factas, diffuſius cõmemorauerit, ſignificaſſet; Cameſenum hunc, Noemi filium, fuiſſe Zoroaſtrem, Bactrianorum, regem. Nec enim rem, quæ non id eſſet generis, vt ſilentio prætereunda foret, ipſe diligẽtiſſimus antiquitatis indagator non ſcitu dignam eſſe iudicaſſet; qui multa, cum ab ipſo Beroſo, tũ ab aliis auctoribus prodita, non æque memoranda, narrauerit. Nec Pliniũ, qui Beroſum (vt apparet) accuratius legerat, cum varias de Zoroaſtre opiniones prodidit, puto prætereũdũ exiſtimaſſet, quæ Beroſus de illo narraſſet, quippe qui & patrem, quo genitus eſſet, & tempora quibus vixiſſet, & quas res geſſiſſet, & à quo victus & occiſus eſſet, tam aperta, & dilucida narratione declaraſſet; nec dixiſſet, (vt ipſius verbis vtar) non ſatis conſtare, vnus hic fuerit, an poſtea & alius. Nec D. Auguſtinus credo tacuiſſet, cum ſæpius in Zoroaſtris mentionem incidit, ea, quæ Beroſus ab aliis ſcriptoribus prætermiſſa, de illo ſolus enarraſſet, præſertim vbi de ipſo Chamo nõnulla præſtrinxit. Nec veriſimile

eſt, Beroſum, tantæ auctoritatis ſcriptorem, ea proditurũ fuiſſe, de quibus in manifeſtiſſimo mendacio depræhenderetur, nam à diluuio ad patrem noſtrũ Habrahamum, in cuius ætate ſatis conſtat Ninum, qui Zoroaſtrem ſuperauit, floruiſſe, numerat Euſebius, Cæſarienſis Epiſcopus, in Chronicis MDCCXX. annos, qui vero minimũ, vt Auguſtinus MLXXII. quomodo ergo Cham, qui ante cataclyſmum centum natus erat anno, tam longã vixiſſet ætatem, ad quam nemo quiſquã mortalium vitam produxit, præſertim poſt diluuium, quando nõ mediocris iam ætatũ diminutio conſecuta fuerat: Quod ſi Zoroaſtres (vt iunior Beroſus, cõtra omnium hiſtoricorũ ſententiam, aſſerit) non à primo Nino, ſed à ſecundo, huius filio, qui poſt matrem ſemiramim regnauit, ſuperatus eſt, multo plures ab ipſo diluuio ad Zoroaſtris interitũ computãtur anni, ita vt clarius veritas eluceat, & manifeſtũ ac depręhenſum multo etiam magis appareat figmentum. Quapropter cũ veritas per ſe ipſa conſtet, & firmiſſimis radicibus nitatur, oportet mendacem, qui ipſam veritatis vim cõuellere, & labefactare conatur, memorẽ & ipſum eſſe, vt in prouerbio eſt. Iam niſi fallor, ſatis ſuperq; mihi videor demonſtraſſe, etiam ſi iuſtum non fuiſſet opus, ſed fragmenta tantum, (vt ipſi volunt) ea tamen nõ eſſe Beroſi vetuſtiſſimi & grauiſſimi auctoris. Verũ, ne fortaſſe aliquis reſiderat ſcrupulus, oſtẽdamus, hos quinq; libros nulla fragmentorũ veſtigia, ſed incorruptæ potius integritatis ſpeciẽ prę ſe ferre. Ac primũ omnium demiror eſſe quenquã, qui veteres librorum inſcriptiones audeat ex pugere, & nouas ſupponere, vt aduerſarius liberiore licentia auſus eſt. nam titulus huius operis hic eſt; Beroſi, Sacerdotis Chaldæi, de Antiquitatibus libri quinque, cum commentariis Ioannis Annij Viterbienſis, Sacræ theologiæ profeſſoris. nec enim ipſe Annius, horum librorum comprobator, & fautor, atq; etiam inuentor, alium titulum oſtendit in præfatione ſua: dicit enim: In primo tradit, quid Chaldæi ſcribant de temporibus ante diluuium; ſecundo, de genealogiis deorum, i. ducum, poſt diluuium; In tertio docet antiquitatẽ Iani patris, quẽ & Noam nominant; In quarto, de antiquitatibus regnorũ totius orbis; in cõmuni tradit; In quinto, ſingula explicat. Titulus huic libro eſt, Defloratio Beroſi Chaldaica. Hęc ille. Quod ſi Ioanne Annius, qui hũc auctorẽ è tenebris in lucẽ euocauit, eius hiſtoriam, quam Deflorationẽ Chaldaicã appellat, in quinq; libro offendit ab ipſo auctore diſtributã, quo tandẽ ore nouos nos audebimus cõminiſci titulos, præſertim cũ nulla cõperta ſint fragmentorũ veſtigia, nec vlla ſigna corruptionis depręhẽdantur? nã, ſi Annius ipſe ſeriẽ, & contextũ huius hiſtoriæ interuptũ, aut deprauatũ inueniſſet, nihil dubium eſt, quin illi fragmentorum nomen impoſuiſſet, perinde ac impoſuit hiſtoriæ cuiuſ-

cuiuſdam auctoris, quã, aut omnino credidit, aut certe ſuſpicatus eſt reliquas quaſdã eſſe Originũ Catonis. quod ſi aduerſarius tantã fidem, & auctoritatẽ tribuit Ioanni Annio Viterbienſi in iis, quæ ad extollendũ ſuum Beroſum pertinent, quid cauſſę eſt cur circa titulũ ſui operis, non eidẽ quoq; aſſentiatur Sed nos, tametſi ea, quæ modo attulimus, idonea ſatis arbitrabamur fore ad probandum, nõ fragmenta, ſed iuſtũ opus eſſe hoc, ꝙ in quinq; libros diſtributũ eſt, tamen volumus aliũde firmiſſimis rationibus, & argumẽtis aduerſario cumulate ſatis facere. diximus, illũ, cum ſe vndiq; conſtrictũ cerneret, velut anguillã, elapſum, ad fragmentorũ nomen confugiſſe, nõ ꝙ crediderit (vt opinor) fragmenta eſſe, ſed ꝙ arbitratus eſt veriſimile, & probabile iſtuc ipſum videri poſſe, ob exiguã librorũ breuitatẽ, quæ illi occaſionẽ obtulit, & quaſi viam ad hoc perfugiũ muniuit. Sed nos hũc, ſeu errorẽ illi eripiemus, ſeu ſimulatã opinionem funditus euellemus. Nam, quiſquis fuit huius auctor operis, ille ipſe nõ modo ſe eidẽ breuitati ſtuduiſſe ſignificauit, verum etiam eoſdẽ quinq; libros nõ ſemel, ſed ſæpius breuiſſimas Annotationes nũcupauit. Siquidẽ in calce totius operis inquit: Itaq; qui reges & tẽpora tradũtur à noſtris, de prioribus regnis orbis, à Iani diluuio primo vſq; ad Dardaniæ regnũ cõditũ, his noſtris breuiſſimis Annotationibus ſint hactenus dicta. Hæc ille. Quid igitur ſignificãtius dici potuit, aut quid magis aptũ & cõſentaneũ huic librorũ exaltitati, quã breuiſſimarũ Annotationũ nomẽ, Præterea in primo libro inquit; Has igitur principũ, atq; heroũ origines, atq; poſteritates abbreuiamus ex noſtris Chaldęis, atq; Scythicis libris, quoad ſatis ſit: nã & multos alios memoriæ mãdãt, quos, quia nihil ad noſtrã intentã accurrationẽ, aut parũ afferũt, ob id dimittimus. Ecce iterũ librorum paruitatẽ ſignificatã, auctoremq; ipſum ſummã breuitatẽ data opera ſecutũ: nam per intentã accurtationẽ, quanquã ineptè, ſatis tamẽ innuit, ſeu potius fatetur, quãdam à ſe deſtinatã, & ꝓpoſitam breuitatẽ. Deinde eodẽ libro nõ ſolum prædixit, ſe hoc breue & cõpendiarium genus hiſtoriæ ſecuturum eſſe, ſed etiã prius indicauit, & verbis pene depinxit totam hiſtorię ſeriem, eundemq; ipſius contextũ, & ordinẽ, vt nullo pàcto queat tergiuerſari aduerſarius, nedum ad fragmentorũ deſperatiſſimũ perfugium elabi, inquit.n. Ab hoc igitur anno ſalutis humanę, ab aquis primordio ſumpto, noſtri maiores innumeros ſcripſerũt. nos vero tedioſum eorũ ſermonẽ abbreuiaturi, referemus origines, & tẽpora, & reges eorum duntaxat regnorũ, quæ nunc magna habentur. Hæc ille. Quid enim aliud narrãdo, idq; breuiter & nude, prodidit quã origines, tẽpora, & reges eorum duntaxat regnorũ, quæ prius prędixerat? Nec ſolus id declarauit auctor ipſe, ſed quidẽ Manethon. qui huic hiſtorię quædã adiũxit ſupplemẽta, in frõte ip-

ſius

ſius operis idem profitetur. Beroſus (inquit) inter Chaldæos hiſtoricos probatior, deflorauit breuiſſimis Annotationibus omnia Chaldaica, de potioribus regnis orbis, à diluuio maximo, quod deorum maiores ſcribunt fuiſſe ante Ninum, vſque ad præcipuũ regnum Troiæ conditum. Hæc ille. Tenetur vndique, & conſtringitur vinculis aduerſarius, vt nec ſe cõmouere queat, nec, quò confugiat, vllus iam illi locus relinquatur. Quod ſi forte pertinaciter perſiſtat, negetque, hanc hiſtoriam colligatas inter ſe, ac nexas habere rerum geſtarum narrationes, iam ex ipſo contextu facile vnuſquiſque diiudicare poterit, vtrum abſoluta ſit ipſius hiſtoriæ continuatio, nec ne, nam in primo libro narrat, quẽadmodum extabãt apud Chaldæos Annales de rebus ante cataclyſmũ geſtis, in quibus proditum erat, fuiſſe iuxta montem Lybanum vrbem quandam ampliſſimam, Enes nominatam, atque à gygantibus qui totius terrarum orbis dominium id tẽporis obtinerent, habitatam, eoſq; multiplici flagitiorum, atq; ſcelerum labe inquinatos, ab diis, quorum iram irritauerant, fuiſſe interẽptos, cum vniuerſum terrarum orbem aquis vindicibus operirent, præter Noemum, treſque eius liberos, & eorum vxores, qui naue, in ſpeciem arcæ fabricata, ſeruati fuere. Poſtea vero quam exaruiſſent aquę, ac velut emergere terrarum ſolum coepiſſet, quemadmodum nauis ipſa in vertice Armeniorum montium ſubſediſſet, quodq; ab illo anno, quo ſeruatũ fuerit genus humanum, Chaldæi multa confeciſſent volumina. verum ille, breuitatẽ ſecutus, eorumque prolixas narrationes relinquens, relaturum ſe profitetur origines, & tempora, & reges eorum tantummodo regnorum, quæ tunc pro maximis haberentur, in Aſia Babylonicum, in Africa Aegyptium, & Lybicũ, in Europa Celtibericum, Celticum, Italicum, Tuiſconum, & Ionicum; finemque imponit primo libro: cui ſecundus ſtatim adnectitur iis verbis: Neceſſe eſt igitur, nos ex præmiſſis confiteri, quod & Chaldæi, & Scythæ ſcribunt, ſiccato ab aquis orbe, non fuiſſe niſi octo homines in Armenia ſaga, & ab his omne genus humanũ in terris ſeminatũ, atq; ob id ſcythæ recte dicere, & appellare Noã, omnium deorum maiorũ & minorũ patrẽ & humanæ gentis auctore, & chaos, & ſemen mundi, Tyteam vero, Aretiam, ideſt terram, in quam ſemen chaos poſuit, & ex qua, tanquam ex terra, cuncti Prodierunt, et cætera. Deinde, cunctam ipſius Noemi ſobolem breuiter. ſimpliciterque recenſens. finem facit; tertiumque librum ſic auſpicatus eſt: Has igitur principum atque heroum origines, atque poſterita tes abbreuiamus ex noſtris Chaldæis, atque Scythiis libris, quoad ſatis ſit &c. Deinde geſta ipſius Noemi, poſtquam è naui deſcenderat, narrare pergit; tum, quo pacto humanum genus reparatũ, & auctũ ſit, docet ſi ipſiuſq; Noemi,

ſolertiam

ſolertiam circa agrorum culturam, vitiumque ſatus explicat; cumque ex immoderato viui poſtratus humi eſſet, queadmodum filius eius Cham magicis cantionibus illi vim generandi præripuiſſet, eo quod plus ceteris filiis indulgeret, hũcque poſteris temporibus fuiſſe Zoroaſtrem, Bactrianorum regem, magicæ artis principem, & inuentorem. Vbi vero nonnulla eius geſta refert, tertium librum abſoluit, & quartũ huic adiungens, his verbis orditur: Multiplicatum eſt immenſum genus humanum &, an comparandas nouas ſedes neceſſitas compellebat. tum Ianus pater adhortatus eſt homines principes ad quærendas nouas ſedes, & cõmunem cœtum inter homines agendum, & ædificandas vrbes. Deſignauit itaque illas tres orbi partes Aſiam, Africã, & Europam, vt ante diluuiũ viderat. Singulis autem principibus ſingulas partes, ad quas irẽt, partitus, ipſe per totum orbem colonias ſe traducturum pollicitus eſt, &c. Tum ſubiungit, quemadmodum homines, per terras ſparſi, latæ propagati ſint, vtque Nimbrotho attributa fuerit Meſopotamia, & ipſe vrbem cõdiderit in cãpo Senaer, in eaque turrim miræ celſitudinis ædificauerit anno poſt cauaclyſmum CXXXI. quodq́; quinquaginta ſex annos regnauerit & regnum eius Babylonicum vocatum fuerit. Deinde narrat, poſtea quam Noemus colonias deducendas curaſſet in Aegyptum & Lybiam, atque ex Armenia in alias orbis partes colonias deduxiſſet, poſtremo iis verbis quartum abſoluit librum: Hæc noſtri maiores multis libris tradiderunt: nunc de tẽporibus eorum ac poſteritatibus dicemus, iuxta id, quod in noſtra Chaldaica, & primordiali. Scythica hiſtoria, fideli memoria conſeruatum eſt. & quintum ſtatim aggreditur, ita incipiens. Vt ſupra diximus, anno à ſalute humani generis ab aquis CXXXI. coepit regnum Babylonicum ſub noſtro Saturno, patre Iouis Beli, qui imperauit annis quinquaginta ſex, & c. Quo in libro, poſtea quam proſecutus eſt regna, quæ prius promiſerant, eorumque reges, & annos quibus regnauerint, vſque ad Aſcatadem Babyloniæ, Rameſſem Aegypti, & Dardanũ Dardaniæ reges, totum opus huius hiſtoriæ abſoluit, iis verbis. Itaque, qui reges, & tempora traduntur à noſtris de primoribus regnis orbis, à Iani diluuio primo, vſque ad Dardaniæ regnum conditum, his noſtris breuiſſimis Annotationibus ſint hactenus dicta. Hæc ille. Ac demum Ioannes Annius, in explicatione huius loci, oſtendit, quo conſilio vſque ad regnum Dardaniæ hiſtoriam producere ſtatuerit. Patet inquit, ex hoc vltimo, cur Beroſus Athenienſibus hoc opus, ſolum vſque ad Dardaniam conditam, tempora Græcis ignota erunt. Hæc ille. Quapropter neſcio, quid amplius iam deſiderat aduerſarius; cum planum factum ſit, non ſolum nihil mutilum aut deprauatum in hiſce quinque libris ſui Beroſi, ſed nec vllum

fragmento

fragmentorum veſtigium, aut eorũ tenuiſſimam ſuſpitionem apparere; quando nõ ſemel, ſed ſæpius auctor fateatur, in hac hiſtoria ſcribenda ſe quãmaximã ſecuturũ eſſe breuitatẽ, eamque hiſtoriã appellet breuiſſimas Annotationes; atq; idẽ quoque aperciſſime ſignificet, (vt ſupra demõſtrauimus) quiſquis ille fuit Manethon, qui ad hos quinq; libros quædã adiunxit ſupplemẽta. Quare deſinant iam nobis obiicere, & opponere fragmentorũ nomen. Et quoniã deprehendimus, hanc hiſtoriam, ex omnibus ſuis partibus, incorrupã retinere integritatem, progrediamur vltra, & cæteras probationes in mediũ ꝓferamus; quibus etiã intelligatur, non id eſſe hoc opus, ꝙ Beroſus Chaldæus. vir quondã celeberrimus, confecerit. Intelleximus ex iis quæ ſupra memorauimus, hũc cõmenticiũ Beroſum à diluuio (vt ipſemet, eiuſq; interpres Annius fatetur) ad Aſcatadẽ Aſſyriorum, Dardanũ Dardaniæ reges Beroſum vero Chaldæũ, ab eodẽ tẽpore ad Nabulaſſarũ regẽ, & Nabuchdonoſorum, eius natum, hiſtoriã ſcripſiſſe; tum etiam intelleximus, partem quandã hiſtoriæ ipſius Beroſi, quæ apud Ioſephum, eſt vbi de Nabuchdonoſoro, eiuſq; patre Nabulaſſero, multa prodidit, nõ extare apud ficticiũ Beroſum, propterea ꝙ ab eodẽ rege Aſcatade ad Nabuchdonoſorũ reges circiter xxx. & mille plus minus interiecti fuerint anni; vt auctor eſt in chronicis Euſebius, Cæſarieſis Epiſcopus. Extat præterea locus quidam apud D. Hieronymũ, qui nobis ſatis ſuperq; oſtendit nõ eſſe hunc verum Beroſum. ait.n: Pugnaſſe autẽ Sennacheribum, regem Aſſyriorũ, contra Aegyptios, & obſediſſe Peluſium; iamq; exſtructis aggeribus vrbi capiendæ, veniſſe Taracham, regẽ Aethiopum, in auxiliũ; & vna nocte, iuxta Hieruſalem, centũ octogintaquinq; millia exercitus Aſſyrij, peſtilentia corruiſſe, narrat Herodotus, & pleniſſime Beroſus Chaldaicæ ſcriptor hiſtoriæ: quorũ fides de propriis libris petenda eſt. Hæc Hieronymus. Flauius autẽ Ioſephus. eadẽ cõmemorans, quæ de Sennacheribo rege meminit D. Hieronymus, eũdẽq; Beroſũ teſtẽ citans, ipſamet Beroſi verba refert. Herodotus autẽ inquit, de rege Sennacheribo errorẽ ideo facit, quia non Aſſyriorum dicit regẽ, ſed Arabum, adiiciens, quia ſoricũ multitudo vna nocte arcus et armareliqua comedit Aſſyriorũ, & propterea, cum non haberet rex arcus, exercitum à Peluſio reuocauit. Et hæc quidem Herodotus: Beroſus autẽ, qui Chaldaicam conſcripſit hiſtoriam, meminit regis Sennacherib, et quia regnauit ſuper Aſſyrios, et caſtrametatus eſt contra omnẽ Aſiam, & Aegyptum, ita dicens. Reuerſus autẽ Sennacherib à præliis Aegyptiorũ, ad Hieroſolymam cum veniſſet, exercitum, quẽ cum Rapſace demiſerat, inuenit in periculo peſtilentiæ Conſtitutum: (Deus enim morbũ populo eius immiſerat, ita vt prima nocte eorũ, qui obſidebant, deperirent CLXXXV. millia,

millia viri, cum iudicibus & tribunis) propter hanc calamitatem, in nimio terrore, & anguſtia conſtitutus, de cuncta iam militia metuens, fugit cum ſua manu ad proprium regnũ, in ciuitatem, quæ appellatur Niniue; &, dum modicum tempus ibidem cõmoratus fuiſſet, dolo à ſenioribus filiis Adramelech, & Selenſaro eſt perẽptus, in proprio tẽplo, quod dicitur Araſi. Et illi quidẽ procæde patris effugati, ad Armeniã diſceſſerunt. Succeſſit autem in eius regnũ Aſaracoldas. Terminus igitur obſeſſionis Aſſyriorum contra Hieroſolymitas tali occaſione prouenit Hæc Beroſus. Euoluat nũc aduerſarius quinq; libros ſui Beroſi, & oſtendat nobis apud illum hanc de Senacheribo rege hiſtoriam; & ego libenter palinodiam cantabo; ſiquidẽ vnum ex duobus neceſſario fatendum eſt, aut D. Hieronymũ, & Flatu. Ioſephum ea ſcripſiſſe, quæ nunquã prodiderit Beroſus, (quod de illo nõ ſolum credere, ſed cogitare quidẽ, impiũ & nefarium; de hoc vero, temerariũ eſſe, arbitror) aut, ſi vera ſunt quæ narrant ipſi, hunc fictum, & adulterium prorſus eſſe Beroſum, neceſſe eſt. Sed aliũ proferamus locum D. Hieronymi ex cõmentariis, quos ſcripſit in Danielem prophetam, qui nobis nonnulla narrat ex Beroſo Seniore, quæ apud iuniorem minime reperiuntur. ait namq; cum in mentionẽ Balthaſaris regis incidit: Sciendũ eſt, non nunc eſſe filiũ Nabuchdonoſor, vt vulgo legentes arbitrãtur, ſed iuxta Beroſum, qui Chaldæã ſcripſit hiſtoriam, & Ioſephum, qui Beroſum ſequitur, poſt Nabuchdonoſor, qui regnauit annis quadragintatribus, ſucceſſiſſe in regnũ eius filium, qui vocatur Euilmarodat; de quo ſcribit Hieremias quod in primo anno regni ſui leuauerit caput Ioachin regis Iudæ, & duxerit eũ de domo carceris. Refert idem Ioſephus, ꝙ poſt mortem Euilmarodach, in regnũ patris ſucceſſerit filius eius Negliſar, poſt quẽ rurſum filius eius Laboſordach; quo mortuo Balthaſſar, filius eius, regnũ tenuerit, quem nunc ſcriptura cõmemorat. Et paulo poſt ſubiungit. Quod autem Balthaſſaris patrẽ Nabuchdonoſor vocat, nõ facit errorẽ; ſciẽtibus Sanctæ ſcripturæ conſuetudinẽ, qua patres omnes proaui, & maiores vocantur. Hucuſq; Hieronymus.

Hæc autẽ, quæ vir ſanctiſſimus cõmemorauit de rege Balthaſſare ex Beroſo, diffuſius recẽſet Flau. Ioſephus, atq; inſuper ipſius Beroſi verba retulit in librũ primum, quẽ aduerſus Apionẽ Alexandrinũ edidit. ait igitur Ioſephus. Quę vero de tẽplo Hieroſolymorũ relata ſunt, & concrematũ eſſe Babyloniis, & cæptum rurſus ædificari Cyro tenente Aſiæ principatũ, ex dictis Beroſi declaramus. ſic.n. in tertio libro, dicit: Nabuchdonoſor itaq; poſteaquã inchoauit prædictũ murũ, incidens in languorẽ; de vita migrauit, cũ regnaſſet annis tribus, & quadraginta. huius regni dominus effectus filius eius Euilmarodochus propter iniquitates, & libidines paſſus inſidias, à marito ſororis ſuę

Niriglio-

Nirigliſoroor peremptus eſt, cũ duobus regnaſſet annis. Quo defuncto, ſumens regnum, qui ei fecit inſidias, Nirigliſoroor annis regnauit quatuor. Huius filius Laboroſardochus principatum quidem tenuit, puer exiſtens, menſibus nouem, inſidias vero paſſus eo quod nimis appareret malorum eſſe morũ ab amicis extinctus eſt. Hoc itaque perempto, conuenientes iis, qui fecerant inſidias, communi ſuffragio regum tradidere Nabonido cuidam, qui erat ex Babylone ex eadem gente. Sub hoc muri circa fluuium Babyloniæ ciuitatis, ex latere cocto, & bitumine ſunt conſtructi. Cuius regni anno ſeptimo decimo egreſſus Cyrus ex Perſide cum magno exercitu, vniuerſa Aſia ſubacta, impetum fecit in Babyloniam vrbem. Sentiens autem Nabonidus inuaſionem eius, & occurrens cum exercitu ſuo, atque congreſſus, pugna victus, & cũ paucis fugatus, incluſus eo in Berſippenſium ciuitate. Cyrus autẽ, Babyloniam obſidens, & deliberans exteriores muros deponere ciuitatis, eo quod nimis videretur munita, & eſſet ad capiendum valde difficilis, reuerſus eſt ad Borſippum, Nabonidum, expugnatus. Nabonido vero oppugnationem non expectante, ſed prius ſupplicante, vſus clementia Cyrus, & dans ei habitaculum in Carmania, expulit eum à Babylone. Nabonidus itaque reliquum vitæ tempus in illa prouincia cõuerſatus eſt. Sic Beroſus. Hæc concordant cum noſtris, Ioſephus inquit. Quod ſi hæc, quæ modo Beroſum ſeniorem audiuimus narrãtem de Cyro, Perſarum rege, qui Balthaſſarem, à Beroſo Nabonidum nuncupatum, (vt Ioſephus X. Libro antiquitatum narrat) acie fudit, & regno exuit. ſcripta fuerãt in tertio libro hiſtoriæ Chaldaicæ, quid cauſſæ eſt, quamobrem non extent in tertio libro iuniores? niſi quod ij duo Beroſi (vt ex amborũ ſcriptis apertiſſime deprehenditur) & maxime diuerſi fuerint, & longe diuerſa, diſiunctiſſimis temporibus ſcripſerint? His lector adiungat ea, quæ ſupra Flatu. Ioſephum non modo ex hiſtoria Beroſi narraſſe, ſed ſua ipſius verba deſcripſiſſe intelleximus de Nabulaſſaro rege, deque eius filio Nabuchodonoſoro, qui Bello templum auguſtiſſimum ſacrauerit, & Babylonem vrbem pulcherrimo ædificiorum apparatu illuſtrauerit, atque hortos amoeniſſimos & penſiles vxor ſuæ exſtruẽdos curauerit; propterea quod nemorum, & ſiluarum Mediæ regionis, vbi nata, & alta fuerat, deſiderio teneretur. adiiciat etiam ad hæc, quod Ioſephus commemorat, Beroſum coarguiſſe mendacij Græcorum hiſtoricos quod Semiramim prodiderint ampliſſimas & magnificentiſſimas illas ædificiorum exſtructiones Babylone condidiſſe, quarum auctorẽ non ipſam Semiramim, ſed Nabuchdonoſorum exſtitiſſe, confirmauit: atque in memoriam reuocet locum Danielis Prophetæ quo ex loco colligitur eundem regem magnificis, & præclaris

claris operibus vrbem illam nobilitaſſe. quæ omnia maxime repugnant, & aduerſantur iis, quæ iunior Beroſus de Semiramide aſſerit, vt ſupra ſatis diſputatum eſt. Extat pręterea apud eundem Ioſephum, in primo libro Antiquitatum locus quidam, in quo pauca ſenioris Beroſi verba refert; quæ apud iuniorem minime reperiūtur. Ea ſunt huiuſmodi. Meminit autem patris noſtri Habraham Beroſus, non quidem nominans eum, ſed ita dicens. Poſt diluuium decima generatione apud Chaldæos fuit quidam vir iuſtus, & magnus, in cæleſtibus rebus expertus. Alius apud Plinium etiam locus eſt, in quo literarum antiquitatem recenſens, teſtem citat Beroſum, inquiens. Anticlides in Ægypto inueniſſe quendā nomine Menona tradit XVI. annis ante Phoroneum, antiquiſſimum Gręcię regem, idque monumentis approbare conatur. è diuerſo Epigenes apud Babylonios D C CXX. annorum obſeruationes ſiderum, coctilibus laterculis inſcriptas docet, grauis auctor in primis: qui minimum, Beroſus, & Critodemus, CCCCLXXX. annorum. Hæc Plinius. Quarum rerum mētio apud Beroſum iuniorem nulla facta eſt. nec enim credibile videri poteſt. Plinium, diligentiſſimum, & grauiſſimum ſcriptorem, aſſeruiſſe, ea ſe ex libris Beroſi, & Critodemi de literarum vetuſtate excepiſſe, quæ ipſi nunquam prodidiſſent. Sed nec reperiuntur apud iuniorem Beroſum, quæ ex Agathio ſupra memorauimus; Beroſum Babylonicum, & Athenodorum Symmachū, (qui Aſſyriorum, & Medorum res antiquiſſimas ſcripſerunt) prodidiſſe, vetuſtiores illos appellaſſe Herculem Sandem, & Venerem Anaitida. Quid quod hæc tot regnorum deſcriptio parum conuenit cum titulo hiſtoriæ Chaldaicæ? quem titulū præ ſe ferebant libri Beroſiani, nam, ſi idem auctor (vt D. Hieronymo, & Ioſephus teſtantur) flores tantum hiſtoriæ Chaldaicæ decerpere decreuit, (quæ hiſtoria, ut videtur, late patebat, ac diffuſis narrationibus, & longis rerum monumentis, velut in camporum patentium æquoribus, ſpatiabatur) & alia omittere, quæ ſibi minime pertinere viſa ſunt ad illa, quæ ſecū ipſe narrare conſtituerat: quomodo veriſimile aut probabile eſt, illorum, tot exterorum regum Hiſpaniæ, Galliæ, Italiæ, Gręciæ, & Africæ principatus, & tempora, cum rebus Chaldaicis commiſcuiſſe? inter quos, & Babylonios reges nullum omnino vnquam commercium, nullum bellum; nullum fœdus, aut ſocietates interuenerant? At de Iudæis regibus multa commemorauit Beroſus, horum ideo meminit, quod inter vtroſque, & Babylonios & Iſraeliticos reges, propter regionū circinitatem, ſæpius & bella ſuſcepta, & amicitiæ initæ, aliaq; pacis fœdera ſancita, & firmata fuerant. Quod argumentum retorquere in aduerſarium poſſumus. nam in ſuo Beroſo nulla Iudæorum regum Commemoratio facta eſt, quam ſæpius

 feciſſe

feciſſe Beroſum, cum ex ipſius auctoris, tum ex. D. Hieronymi, & Flauij Ioſephi teſtimoniis ſatis ſuperque demonſtratum eſt. Quapropter exiſtimo, auctorem hunc, ſi ei ſic viſum fuiſſet, æque potuiſſe Hiſpanum, Gallicum, Germanicum, ſeu Africum, vel Italicum vſurpare titulum, ac Chaldaicum vſurpauit. Mitto, quod non erat iis locus, vt quidam prudenter dixit in cauſſa ſimili. Mitto, quod pauca illa, quæ ex hiſtoria Beroſi ſuperioris, beneficio D. Hieronymi, & Flauij Ioſephi, non interiere, longe aliam dictionis formam præ ſe ferũt ac eſt illa iunioris. Adde, quod nec nomen extat interpretis, qui hoſce libros ex Græcis conuertit, ob quæ etiam ſi alia non ſupereſſent ſigna falſitatis, ſuſpecti maxime viderentur. Nec enim adduci poſſunt, vt credam, illos ab homine Græco fuiſſe compoſitos, ſed potius ab auctore Latino, eoque Latini ſermonis non admodum perito. Prætèrea, ſi quis temporũ varietates, & rerum viciſſitudines expendere in animũ induxerit. deprehendet, Beroſum Chaldæum, & Græcos illius ætatis, qua erat ipſe, aut nullam, aut perexiguam certe notitiã habuiſſe regionum, earum præſertim, quæ ad occidente vergũt, vt ſunt Hiſpaniæ, quippe quæ nondum per Romanorũ potentiam domitæ, vel pacatæ, ſed potius infeſtæ exteris nationib⁹ erant, tum ob immanem, & barbarã hominũ illius ætatis naturam, tum etiã ob morum, & linguarũ diſſimilitudinem, qua humani generis ſocietas, & cõiunctio maxime diſtinetur: nec enim aliam fuiſſe cauſſam ſcribit Plinius, cur Æſchylus exiſtimauerit, Eridanũ fuiſſe in Hiſpania, eundemq; Rhodanũ appellari; & cur Euripides, & Appollonius opinati fuerint, ipſũ Rhodanum in mare Hadriaticũ fluere, quã quod terrarum, & locorũ ſitus ignorauerint, ideo Ariſtoteles, (vt in Meetheorologicis eius libris videre eſt) ex Pyrenæis mõtibus oriri Danubium, falſo exiſtimauit; & Ere phus (vt Strabo ſignificat, & Ioſephus aperte teſtatur) Hiſpaniã non prouinciam, ſed vrbem quandã fuiſſe arbitratus eſt. Sic etiã Plato (niſi locus, vt ſuſpicantur aliqui, phyſicã continet allegoriam) neſcio quã Atlantidem inſulam ad Herculeas colũnas olim fuiſſe aſſeruit, tãtæ magnitudinis, vt maior Lybia ſimul & Aſia cenſeretur; cuius inſulæ reges late imperiũ & ditionem in totam Africã, & Ægyptum, in bonamq; Europæ partẽ obtinuiſſent, quæ tandem tota pelago ſubmerſa fuerit, vnde factũ ſit, vt Ateanticũ illud pelagus vbi fuerat inſula, ob frequentẽ limum ibi relictũ, nauigari nequiuerit. Quod vtiq; vanum, & falſum eſſe cõpertum ſatis eſt noſtra, & patrum noſtrorũ memoria. nam à Gadibus, ad omnes cœli plagas, ſiue in orientẽ, ſiue in occaſum, ſiue in ſeptentriones, totus hodie nauigatur Oceanus Atlanticus. Quapropter non pigebit ſubiungere, quæ Polybius, grauis in primis auctor, de hac ipſa veterũ Græcorum exigua extrema-

rum orarum cognitione iudicauerit, vti ad id, quo tendimus, cōmodior nobis via muniatur. inquit itaque. Quod vero hæc potiſſimum pars hiſtoriæ prętér cęteras omnes, veriori correctione egeat, cum ex pluribus aliis, tum ex eo maxime liquet, quod omnes fere antiqui, vel certe quam plurimi ſcriptores, conati ſitus,& proprietates extremarum orbis regionum referre, multis in locis longe aberarunt à veritate, proinde non caſu, nec præter intentionem, eorum gratia, ſed potius laudãdi, corrigendiq;. quippe quos non dubitamus, ſi hac tempeſtate fuiſſent, ipſos errorē ſuum fuiſſe emendaturos, ſiquidem ſuperiori ætate raro quiſpiã inter Gręcos reperiri potuit, qui extremas orbis partes ſcrutatū proficiſci voluerit, ob periculoſū, & inſuperabile iter, multa enim, ac penè innumerabilia mari terraq; pericula erant. Quod ſi quis, vel neceſſitate actus, vel ſponte, extrema orbis petiiſſet, non tamen facile erat locorū ſitū reſq; in his partibus indagatione dignas perquirere, quod partim efferatis barbarorum nationibus occupabãtur, partim loca deſerta, & vaſtæ ſolitudines erant. Adde, quod rem lõge etiam difficiliorē diuerſitas linguarū faciebat. nec enim petere quippiã, nec diſcere haud ſe invicè intelligentibus licebat, nec minus laborioſum erat, res viſas modeſte poſtea referre, ſingulis quibuſq; vt res nouas augendo mirabiliores facerent, nõ parum à veritate recedētibus. Quapropter ſi non ſolū difficile, ſed pene impoſſibile fuit, ante hoc tẽpus verã huiuſcemodi rerum hiſtoriã haberi poſſe, nequaquã ſuccenſendũ eſt antiquis rerum geſtarū ſcriptoribus, ſi quid vel omiſerint, vel deliquerint; quin potius, quod talibus tẽporibus inueſtigare aliquid potuerint, laudandi ſunt, atq; admirandi. Noſtra vero ætate, cum & Alexandri Macedonis vires in Aſia, & in reliquis orbis partibus Romanorū imperiũ cuncta nobis terra mariq; acceſſu facilia fecerint, liberatis præſertim hominū animis bellorū cura, ſtudioque atq; ambitione publicarũ rerum; ex quo maxima ſcrutandæ, indagandæq; veritatis opportunitas accedit; profecto operæ pretium foret, diligentius veriuſq; ea inueſtigare, quæ maiores noſtri ignorauerunt, quod nos quidem omni ſtudio conabimur facere, cum primū opportunum huic rei locum nacti erimus. nihil enim nobis iucundius accidere poteſt, quam ſi intellexerimus ſtudioſos huiuſmodi rerū noſtra opera veritatis compotes fieri; cum præſertim non alia ob cauſam tot labores, atq; pericula in peraganda Africa, & Hiſpania, præterea etiam Gallis, & hæc omnia circumeunte Oceano, ſuſcepeꝛimus, quam vt, veterum ſcriptorum ignorantiam emendantes, eas orbis partes hominibus noſtris quam notiſſimas faceremus. Hæc ille. Docemur igitur ex iis, quæ modo Polybius diſſeruit; bellum plurimas orbis partes nobis pãtefeciſſe, quæ antea aut penitus ignorabãtur, aut multis

fuerant

fuerant obſcuritatibus, fictiſque poëtarum fabulis implicata; ſiquidē Alexandri Magni expeditiones (vt auctor eſt Strabo) bonam Aſiæ partem, eamq; ſeptemtrionalis Europæ plagam, vſque ad Danubij ripas pertinentem, quæ diuturnis temporibus latuerant, aperuere; Romani autem iis conſigua, quæ in occidentem ſolem vergunt, vſque ad Albim fluuium, mediam Germaniam interſecantem, tractumque illum omnem, qui trans Iſtrum ad flumē Tyram pertinet, notum effecerūt; Mithidates Eupator, quæ vltra tendunt vſque ad Mæotidem, & Colchorum maritima; Parthi vero Hyrcanorum, & Bactrianorum nationes, Scytharumque gentem manifeſtarunt, Hæc iccirco lōgo ſermone diſputaui, vt melius intelligatur, quod ſupra leuiter attigi, Græcos antiquos parum, aut nihil plane de rebus Hiſpaniæ cōpertum habuiſſe, ob rerum difficultates, quas Polybius diffuſe commemorauit. Nunc igitur videat aduerſarius, ſi Ariſtoteles, ſi Ephorus, ſi Aeſchylus, ſi Euripides, & Apollonius loca, & ſitus Hiſpaniarū ignorauerint, quid de Beroſo cenſendū ſit, qui hos ætate anteceſſerat, & in ea terrarum parte degebat, quæ longioribus, quam Grçcia, interuallis ab Hiſpania diſiungebatur: ac ſecum ipſe reputet, ſi in illa tempeſtate adeo latuerat Hiſpania, vt Ephorus vrbem quandam, non prouinciam, eſſe exiſtimauerit, vnde, vel qui ſcire potuiſſet Beroſus ea, quæ hic nouus auctor de Hiſpaniæ vrbibus, coloniis, regibus, eorumque temporibus ſcripſit? ut prçteream, quàm indecorum eſſet ei, qui in ſcribēda hiſtoria ſuæ gentis, breuitati conſulto ſtuduiſſet, tot exterorum regum ſeriem ſimul cum perpetua ſuarum rerum hiſtoria contexere: quibus rebus adiectis, propoſitam ſibi breuitatē omnino peruertere, & corrumpere neceſſe eſſet: ſiquidem iunior Beroſus Hiſpaniæ, atq; Galliæ, Africæ, & Italiæ, præterea Germaniæ, Græcorum, & Ægyptiorum reges, & tempora, quotq; ætatis annos vixerint, corpori totius hiſtoriæ, quemadmodum pollicitus fuerat, adiunxit: (ſi hiſtoria appellanda eſt, & non potiꝰ, vt auctor ipſe vocat, breuiſſimæ annotationes) quod neutiquam Beroſus, omni diſciplinarum genere excultus, tantiſque ornamentis, atque laudibus cumulatus, committendum duxiſſet, vt qui leges hiſtoriæ non ignoraſſet, & propterea nō neglexiſſet. Plurima, dedita opera, prætermitto, quæ proferre poteram in auctorem hunc, niſi hæc ſatis multa mihi viſa fuiſſent, vel plura fortaſſis, quam res ipſa poſtulare videretur. quapropter contrahamus iam vela, & cçteris obiectionibus aduerſarij reſpōdeamus, quæ nonnullam videntur habere difficultatem; ſimulque oſtendamus, quas cauſas Ioannes Annius, eiuſque ſectatores habuiſſe viſi ſunt, vt has breuiſſimas annotationes crederent omnino eſſe veram, & Germanam Beroſi Chaldæi hiſtoriam. Primum decepit eos operis inſcriptio,

ptio, niſi me fallit coniectura, quo maxime ducor ad ſuſpicãdum, hunc titulum ab ipſo Annio ſciente fuiſſe conſcriptum: deinde, quod auctor ipſe Chaldæum ſe eſſe profeſſus eſt: tertio, quod ea, quæ ex hiſtoria Beroſi refert Ioſephus in primo libro Antiquitatum, de naue ipſius Noemi, quæ ab aquis deſtituta in arido remanſerat apud Armenios, eiſdẽ fere verbis narrantur, quib. ficticiũ Beroſum eandẽ ipſam rem narraſſe videmus: poſtremo, quod de cataclyſmo, de Noemo, & naue, quam dixi, commemorauerit aliqua, quæ Beroſum prodidiſſe, teſtatus eſt Ioſephus. Extant præter hæc apud Plinium, in deſcriptione Hiſpaniæ, duorum opidorũ nomina, quibus nominibus iunior Beroſus duas nuncupat colonias, quas ſcribit ipſum Noemum in eadem prouincia collocauiſſe, tum etiam, quod reges, ab illo commemorati, & pleraque alia, quæ illic narrat, reperiantur apud Diodorum Siculum, & alios auctores. Nec quidquam aliud, quod illos in hunc errorem coniecerit, præter iſta, modo mihi in mentem venit. Qui ſi conquiſita quadam ratione inueniendæ veritatis, & paribus ponderibus hæc omnia examinare voluiſſent, iam profecto nullius eſſe momenti iudicaſſent has à me modo collectas rationes, & cauſas, quibus ducti ad credendum ſunt, hunc auctorẽ fuiſſe Beroſum Chaldæum: qui quamuis ſe Chaldæum eſſe, & ex annalibus Chaldæis excepiſſe dixerit, quæ breuiſſime narrauit, non continuo ſtatuendum eſt, Beroſum fuiſſe: ſiquidem permultos eiuſdem nominis eiuſque nationis, addo etiam familiæ fuiſſe auctores accepimus, & nonnullos, qui de rebus eiſdem ſcripſerunt. Euoluat, qui volet, Philoſophorum vitas, plures iam inueniet, eoſdemque Græcos fuiſſe Socrates, plures Platones, plures Ariſtoteles, atque Xenophontes, plures Homeros, & Virgilios. Quod ſi ad alias facultates, atque nationes oculos conuertat, non paucos videbit eiusdem nominis ſcriptores, vt ſunt duo Manethones Ægyptij, qui apud Suidam referuntur, & duo Senecæ Hiſpani: ſi vero ad rem bellicam, plures ſibi Bruti, & Fabij occurrent, plures Scipiones, & Decij; multos extitiſſe comperiet Phyrrhos, & Alexandros; ſed vnum ſemper in vniuſcuiuſq; ſeu artis, ſeu facultatis ſcientia excelluiſſe, & primas tuliſſe oſtendet: vti Ariſtoteles, Homerus, Virgilius, & Alexander tulerunt. Similium exemplorum pleni ſunt libri. quapropter nihil eſt, cur non duo eſſe Beroſi Chaldæi facile potuerint, vt duo Meſſallæ, Romani ambo, ex eadem familia ambo; vt plures Cornelij, & Nepos, & Tacitus, & Celſus: quanquam ego magis adducor, vt credam, fictitium eſſe auctorem hunc, ſed venio ad argumenta, quę aduerſarij firmiora eſſe putent dicunt enim, ſuperiorem Beroſum apud Ioſephum retuliſſe nõnulla eiſdem verbis, eodemque ordine, & contextu collocatis, quo Beroſus iunior

eodemque ordine,& contextu collocatis, quo Beroſus iunior eadem ipſa refert, quæ ſunt eiuſmodi. Eiuſdem (inquit Ioſephus) arcæ Noe, atque diluuij memoriam faciunt omnes, qui barbaras hiſtorias cõſcripſerunt: quorum vnus Beroſus Chaldæus, qui, narrans de hoc diluuio, taliter eſt affatus: Dicitur autem nauis eius, quę in Armeniã venit, circa montem Gordiæum aliqua adhuc pars eſſe, & quoſdam bitumen exinde tollere, quo maxime homines ad expiationem vtuntur. Hæc Beroſus ſenior.

Beroſus autem iunior, idipſum narrans, dicit. Ita omne humanum genus aquis ſuffocatum, excepto Noa cum familia ſua, quæ naui erepta eſt. nam, eleuata ab aquis, in Gordiæi montis vertice quieuit; cuius adhuc dicitur aliqua pars eſſe,& homines ex illa bitumen tollere, quo maxime vtuntur ad expiationem. Hæc ille.

Sed priuſquam accedo ad hæc diluenda,operę pretium fuerit rem aduerſariorum perridiculam animaduertere. nam, cũ ſatis doceremus, Beroſum Chaldæum narraſſe apud Ioſephũ res aliquot geſtas quorundam regum Aſſyriorum, quæ apud hunc non extarent, cõtinuo auctoritatem Ioſephi eleuare nituntur; cum vero perſuadere volunt, hunc fore germanũ Beroſum, tunc ipſum Ioſephũ ad id confirmandum teſtẽ citant. Quid igitur puerilius hac ſtulta calliditate,aut quid inconſideratius quã pręſtare fidem cuipiam, dum cõmodum eſt;& eandem ipſi rurſus abrogare, dũ nocet? nonne hæc contumacis,& perfracti ſunt ſigna animi, & qui ſciens & prudens ipſam cõuellere veritatẽ vult? Sed venio ad rem ipſam. Atqui ſatis mirari non poſſum,quã leui,& infirma ducantur ratione ad affirmandum,ob quandam verborũ ſimilitudinem, quæ aut omnino nulla eſt, aut tenuis admodũ, & exigua, hunc auctorem eſſe Beroſum Chaldæum; aduerſus tot argumentorũ cateruã, tantis tamq; validis rationibus firmatam, quibus apertiſſime oſtenditur,diuerſos fuiſſe auctores,& diuerſis tẽporibus vixiſſe. nam Beroſus ſic incipit: Dicitur autem nauis eius, quæ in Armeniã venit circa montẽ Gordięum aliqua adhuc pars eſſe. Hic autẽ dicit: Nam, eleuata ab aquis, in Gordiæi montis vertice quieuit; cuius adhuc dicitur aliqua pars eſſe.

Oſtendant nunc aduerſarij, vbi ſint eadem illa verba, eodem ordine, & contextu collocata, quæ iactant. Deinde dicit ille: Et quoſdam bitumen exinde tollere, quo maxime homines ad expiationem vtuntur. Hic autem: Et homines ex illa bitumen tollere, quo maxime vtuntur ad expiationem. Ego certe (niſi me animus fallit) non hic video eandem illam verborum ſeriem, & contextum, video tamen rem ipſam, ab vtroque ſcriptore eiſdem fere verbis explicatam. hoc ſolum fateor. Sed quid mirum, aut quid exploratius, quam

non

non modo hac ipſa verborum ſimilitudine, verum etiam eiſdem ſæpe verbis ſcriptores eaſdem res literis mandauiſſe? Euoluant, ſi volent, C. Plinij & Iulij Solini volumina; iamque paſſim offendent eaſdem animi cogitationes eiſdem verbis explicatas; adeo, vt alter alterius ſimia fuerit appellatus. Nec enim conſtat, vter ætate ſuperior fuerit. Nonne Virgilius plurima carmina ab Homero, ab Ennio à Pacuuio, à Furio, à Sueuio, à Næuio, à Vario, à Catullo, à Lucretio, & ab Actio mutuatus eſt? vt exempli cauſſa. Vnus qui nobis cunctando reſtituit rem: quod carmē ſic Ennius, Vnus homo nobis cunctando reſtituit rem.

VIRGILIVS.

Corruit in vulnus, ſonitum ſuper arma dederunt.

ENNIVS.

Concidit, & ſonitum ſimul ſuper arma dederunt.

VIRGILIVS.

Summa nituntur opum vi.

ENNIVS.

Romani ſcalis ſumma nituntur opum vi.

VIRGILIVS.

Vendidit hic auro patriam, dominumq; potentem
Impoſuit fixit leges pretio, atque refixit.

VARIVS DE MORTE.

Vendidit hic Latium populis, agroſq; Quiritum
Eripuit, fixit leges pretio atque refixit.

VIRGILIVS.

Dicite Pierides, non omnia poſſumus omnes.

LVCRETIVS.

Maior erat natu, non omnia poſſumus omnes.

VIRGILIVS.

Tithoni croceum linquens aurora cubile.

FVRIVS.

Interea Oceani linquens aurora cubile.

VIRGILIVS.

Nunquam hodie effugies, veniam, quocumq; vocaris.

NÆVIVS.

Nunquam hodie effugies, quin mea manu moriare.

ET alia permulta, quæ longum eſſet recenſere, præſertim cum referantur à Macrobio. Quid dicam de Liuio, qui integras non modo ſententias, ſed longam rerum geſtarum ſeriem, eiſdem Polybij verbis è Græco conuerſis, ſæpius narrauit? Quid de ipſo, quem modo nominaui, Macrobio, qui totas paginas in opus ſuum ex Gellio tranſtulit? Quod niſi

doctorum hominum aures multitudine exemplorum,quæ illi notiſſima ſunt,obtunderem, iam ſexcenta loca proferrem, in quibus deprehenduntur plurima, quæ alij ab aliis, eiſdem verbis, & eadem ſerie diſpoſitis, & collocatis, ſunt mutuati. Simili igitur ratione, quiſquis auctor ille fuit, ea, quæ modo audiuimus de naue Noemi, eiuſq; bitumine, quo ſtipata fuerat, narrauit, eiſdem fere verbis, quæ vel ipſe apud Beroſum legerat,vel apud alios auctores, q ex Beroſo illa in ſuos libros retulerant. Quæ verba, vt etiam nunc apud D. Hieronymum in commentario de locis Hebraicis, & apud Ioſephum extare ſcimus, cur non ita apud alios auctores exſtitiſſe, vnde hic illa exciperet, exiſtimabimus? Quod ſi quis nunc eandem ipſam rem narrare ſtatuiſſet, quare iſta nomina comprehendere, & includere neceſſe eſſet, Gordiæus mons, Armenia, nauis, bitumen, expiatio, homines? nonne nolens in eandem verborum ſimilitudinem, & ordinem incideret? quis hoc inficiabitur? vti Plinio,& Solino vſu veniſſe videmus in deſcriptione Padi, nobiliſſimi fluminis: qui cum, ipſa neceſſitate coacti, nominaturi eſſent montem Veſulum,eundemq; altiſſimum, fines Ligurum, agrũ Forouibienſem, & quod Padus ipſe Eridanus à Græcis fuerit appellatus, Canis exortum XXX. quæ recipit flumina, mare Hadriaticum, in eadem fere verba inciderunt, que ſubiicere non pigebit, ad clariorem huiuſce rei cognitionem, & intelligentiam. inquit igitur Solinus. Ad hæc Italia Pado clara eſt quem mons Veſulus ſuperaltiſſimus inter iuga Alpium gremio ſuo fundit viſendo fonte in Ligurum finibus, vnde ſe primum Padus proruit; ſubmerſuſq; cuniculo rurſus in agro Vibonenſi extollitur: nulli amnium inferior claritate, à Græcis dictus Eridanus. intumeſcit exortu canis, tabefactis niuibus, & liquẽtibus brumæ pruinis; auctuſque aquarum acceſſione, XXX. flumina in Hadriaticum mare defert. Plinius vero eiſdem fere verbis ait.Padus è gremio Veſuli montis, celſiſſimum in cacumen elati, finibus Ligurum viſendo fonte profluens, condenſque ſeſe cuniculo, & in Forouibienſium agro iterum exoriens, nulli amnium claritate inferior, Græcis dictus Eridanus, ac pœna Phœthõtis illuſtratus, augetur ad Canis exortus, liquatis niuibus, &c. deinde, omni numero, XXX. flumina in mare Hadriaticum defert. Hæc Plinius. Nonne apparet, ex iis quæ modo attulimus, ſcriptores in tractatione eiuſdem rei, nonnunquam ipſa cogente neceſſitate, in eandem coire verborum ſimilitudinẽ. in quam modo vidimus Plinium, & Solinum incidiſſe? Iam, ſi quis diligenter conſiderare voluerit, ea, quæ duo hi auctores de hominis natura, de eius velocitate, de viſu, de memoria, deque aliis huiuſmodi ſcripſerũt, nihil dubium eſt, quin maximam inter eos deprehẽdat verborum cognationem; vt eidẽ Plinio,

&

& Pomponio Melæ variis in locis cõtigiſſe videmus. nam hic in Gallia Narbonenſi, Colonia Ruſcino (inquit) vicus Illiberis, magnæ quondam vrbis,& magnarum opum tenue veſtigium. Ille vero in eadem prouincia inquit: Opida, Illiberis, magnæ quondam vrbis tenue veſtigium, Ruſcino Latinorum & cętera. Quod ſi forte, non caſu, hi duo auctores in eandem verborum ſimilitudinem inciderunt, cur non exiſtimabimus, iuniorem Beroſum ea, quæ de naue Noemica ſcripſit, ex ipſo ſuperiore Beroſo aſſumpſiſſe, aut certe ex alio auctore, qui ea ipſa verba ex Beroſo retuliſſet, vti Ioſephus, & D. Hieronymus fecerunt, apud quos eadem verba Beroſi de ipſa naue reperiuntur, vnde hic nouus auctor ea ſumere potuiſſet? Deſinant igitur iam, futilia huiuſmodi argumenta, haſque eneruatas proferre rationes, quæ parũ, aut nihil ad rem facere videntur. At narrat hic auctor caſum illũ cõmunem, & calamitoſum, quo genus humanum aquis deletũ eſt, ſicuti Ioſephus tradit Beroſum prodidiſſe. quid ergo? num propterea intelligitur, fuiſſe Beroſum celeberrimi quendam nominis apud Athenienſes? nonne Romani, Græci, & Carthaginenſes plurimos habuere rerum ſuarum ſcriptores? nonne proditum memoriæ eſt, Alexandrum circiter XXX. habuiſſe hiſtoricos, qui res eius geſtas literis mandarũt? ſcripſit Moyſes cataclyſmum, ſcripſit etiam Beroſus; ſcripſere præterea Hieronymus Ægyptius, Mnaſeas Damaſcenus, Ioſephus,& nouiſſime omnium Ouidius, ſed poeticè, commenticias adiiciens fabulas; à quibus nec nouus Beroſus abſtinet; vt ſunt ea, quæ de Titea magna, de Pandora, de Noela, & Noegla, deque magicis maleficiis, quibus manifeſtiſſimo mendacio protulit, Chamum patri ſuo nocuiſſe, eundemque poſtea Zoroaſtrem, Bactrianorum regem, principem, & inuentorem magicæ artis fuiſſe. At multa ſcripſit, quæ apud Diodorum Siculum, Cornelium Tacitum, C. Cæſarem,& apud alios auctores referuntur. Nec id iam illum in Beroſi Chadæi formam mutabit: imò & ſuſpicionem, iam diu iniectam, auget, alienæ perſonæ ſimulatæ; & argumentis noſtris maxime opitulatur. nam, cum apud Cornelium Tacitum legiſſet, Germanos celebrauiſſe olim carminibus ſuis, quibus annalium loco vterentur, quendam Tuiſconem, Deum terra editum, & filium eius Manum ſuæ gentis conditores dixit, Ianum patrem, quem Noemum fuiſſe aſſeruit, creaſſe regem Sarmatiæ hunc Tuiſconem, qui à flumine Tanaï ad Rhenũ imperaret,& miſiſſe in Aſiam quendam Gangem, cum aliquot ex filiis cuiuſdam Comeri Galli, qui colonias illuc deducerent, vt nomen huius nobiliſſimi fluminis hinc originem traxiſſe videretur. quã originem Ioannes Annius ſtatim, quadam leuiſſima inueſtigatione, ex nomine huius Gangis coniectauit. Dicit inſuper, miſiſſe in Ara-

biam Felicem quendam Sabum, cognomine Thuriferum, & in Arabiam Deſertam quendam Arabem, & quendam Petreium in Arabiam Petream, vt harum regionum omnia ab iis initium ſumpſiſſe facile viderentur quæ omnia plena ſummæ leuitatis ſunt. Cum vero apud Plinium duo hæc opidorum nomina Noegam, & Noelam inueniſſet, quæ auctor ille in Aſturibus, & Gallicis ſita commemoraſſet, commentus es duo cognomina Noegam, & Noelam, quibus vxores Chami, & Iapheti cognominatas fuiſſe dixit; aſſerens ipſum Ianum patrem X. anno Nini, Babyloniorum regis. ex Africa in Hiſpaniam transfretaſſe, in Celtiberisque collocauiſſe duas colonias, ex cognominibus nuruum ſuarum Noegam, & Noelam appellatas; aliaque portenta refert, quæ, vt verum fatear, modo mihi ſtomachum faciunt, modo riſum mouent, adeo deliris poetarum figmentis omnia inuoluit, vt recte Ludouicus Viues, & M. Antonus Sabellicus, aliique viri doctiſſimi iudicauerunt. Quaſi vero illa tempeſtate tam notus eſſet Noemo terrarum orbis, vt, in Armenia conſtitutus, veluti quidam geographus, deſignare radio prouincias potuiſſet, atque earum fines oſtendere, fluuioſque vel globis, vel tabulis depingere, quemadmodum multis poſt ſæculis, ipſo vſu, & experiētia duce, homines factitauiſſe compertum eſt, vt vnicuique quas vellet regiones attribueret, & regna concederet, vt hic temerarie (ne dicam impudenter) aſſerit: & quaſi in ipſo mundi primordio humanum genus huiuſmodi ratione per totum orbem fuerit propagatum: quod multo aliter eueniſſe conſentaneum eſt: quippe quod non conſulto tunc homines in longinquas orbis oras, veluti quibuſdam ſuſceptis expeditionibus, ſeſe contulerint, ſed paulatim progrediendo terras coluiſſe, magis credendum ſit. Hinc effluxit Hiſpani cuiusdam ſcriptoris immoderata licentia, & qui Beroſum hunc ſecutus, non modo aſſeruit, Noemum in Hiſpaniam veniſſe, & colonias, iam dictas, Noegam, & Noelam, collocauiſſe, verum, audacius vltra progrediens, opidum maritimum, ex quo Noemus in Hiſpaniam nauigaturus ſolueret, Iopen fuiſſe affirmauerit, quod nec ipſe iunior Beroſus dicere auſus eſt, niſi forte iam tum ars ipſa, & ratio nauigandi adeo exculta eſſet, vt Noemus, fabricatis nauigiis audacter ſeſe pelago committeret; aut tanquam credendum ſit, illum nauem, qua ſeruatus fuerat, nautica ſcientia illo temporis ſpatio gubernaſſe, quo totum orbem cataclyſmus inundaſſet: quod impium arbitror eſſet, irreligioſum credere. Quod ſi ex hac nominum ſimilitudine argumenta deducere, & coniecturam capere liceret, iam ipſe vel ſexcenta loca, & opidorum, ac locorum infinita pene nomina proferrem, quæ ab ipſo Noa fluxiſſe fortaſſe verius, quàm Noega, & Noela, videri

videri poſſent. Nam Plinius, Græciam, & Atticam ſcribens, Opida, Sidus, (inquit) Cremyon, Scyronia ſaxa III. M. longitudine, Megara, Eluſin. fuere & Oenoa, & Probalinthos qeæ nunc non ſunt. In deſcriptione vero inſularum inquit: Patmos circuitu XXX. M. paſſe. Coraſiæ, Lebinthus, Leros Cynara, Sycinus. quæ ante Oenoe. At in Lycia inquit. Comprehendit in mediterraneis Cabaliam, cuius tres vrbes, Oenoanda, Balbura, Bubon. & paulo ante nominarat Oenium nemus. Præterea inter inſulas adiunxit. Ab hac Aegina liberæ conditionis, eadem autem à Piræeo, Athenienſium portu, XII. M. paſſ. abeſt, ante Oenone vocitata. Hæc Plinius. Quæ inſula primum Oenoe nuncupata, & opidum Oenoa, quod tunc temporis non erat, veriſimiliorem coniecturam facere poterant, ob nominis vetuſtatem, & opidi ipſius interitum. Cum vero hic auctor aſſerat, Noemum in alias quoque Græciæ partes colonias deduxiſſe, ſi quis liberiore licentia hæc opidorum, nemoris, & inſularum nomina: Oenoa, Oenoe, Oenoanda, Oenone, Oenium, ab ipſo Noa aſſeueraſſet emanata, fortaſſe, inueniſſet quoque credulos, & attentos auditores. Vel, ſi quis nunc ea, quæ de primo vini inuentore tradit Athenæus, in medium protuliſſet, quod denominatum fuerit à quodam Oeneo, vt ex hoc crimine Nicandri Colophonij conſtat.

Oeneus inde cauo cratere coercuit, alma
Vina premens;

Quodque antiquiores Græcorum vineas Oenas propterea adpellare conſueuiſſent; atque hunc Oeneum Noam fuiſſe confirmaſſet, eo quod primus (vt diuinæ literæ docent) vitem ſeuiſſet, idque magno oris hiatu. & ſonoro verborum ſtrepitu perſuadere contendiſſet, magnos arbitror, & ingentes theatri applauſus excitare potuiſſe. Quod iPſe Ioannes Annius frigide; ſatis & inepte fecit in explicatione nominis Aborigium, quos negat Græcos fuiſſe, & aliunde in Italiam veniſſe: dicit enim, quod cum in illa ætate aurea quo Saturnum geſtaſſe auctores tradunt, nondum conſtitutis vrbibus homines pro domibus tugurijs & cauatis arborum truncis, aliiſque ſilueſtribus tectis vterenrur, vt quidem hic carmine ſignificaſſe videtur, Genſque virum, truncis, & duro robore nata; inde nomen Aboriginum fluxiſſe. Cuius nominis etymon ſignificare dicit hæc omnia, paterna cauea nata proles. nam ob patrem, ori caueam ſeu foramen, genos prolem ſeu poſteritatem ſignificare contendit, vnde nomen conflatum, vel, vt ſignificantius dicam, conſarcinatum fuiſſe teſtatur. Nec modo has aniles ineptias effutiuit circa nomen Aboriginum, ſed etiã circa nominis Herculei etymon magis inſaniuit: dixit enim

Herculis

Herculis nomen ſignificare pellitum totum, iis verbis indoctis ac barbaris, quæ ideo ſubiicienda curauimus, vt hominis inſcitia, & inconſiderata temeritas, cum ſumma leuitate cõiuncta, notior fiat. Lybius (inquit) eſt nomen proprium Herculis Ægyptij; & Arnus eſt vnum ex cognominibus; vt ait Beroſus in quinto Antiquitatum. ſunt autem cognomina eius Her Col, Ar, Arno, Muſarno. quæ lingua Ægyptia ſignificãt, Her quidem Pellitum, quia induebatur ſimplici pelle leonis quotidie, Col etiam apud Hebræos totũ ſignificat. hinc Hercol ſignificat pellitum totum, quia pellibus ferinis toto corpore tegebatur pro armis inuentis in primo ortu generis humani. Ar vero, & Ari ſignificat leonem; dictuſque fuit Ar ab inſigni ſuo leone, quia ab inſigni ſæpe nominabantur duces, vt Macedo Lupus, & Anubis Canis, teſte Diodoro in primo libro. No autem, famam celebrem ſignificat, hinc Arno, id eſt Leo celeber, à virtute, quia vt ait Diodorus, propulſabat iniurias ab humano genere. Muſa item diſciplinam ſignificat apud oẽs gẽtes. dictus eſt igitur Muſarnus, id eſt Doctor Leo celebris; quia deditus fuit initiationibus, & incantamentis militaribus, &c. Hæc ille. Verum, quid iam ineptius, aut indoctius eſſe poteſt, quam ex diuerſis exterarum nationum linguis, vocabulorum origines deducere, vt iſte fecit? qui ex Ægyptiorum, & Hebræorum lingua nominis Herculei originem petit. nam Her apud Ægyptios pellitum; & Col apud Hebræos totum: igitur Hercules pellitus totus; quia induebatur pellibus ferinis. O hominem acutum, qui ex tantis tenebris in lucem nobis reuocat abſtruſam vim, & originem vocabulorum. Hac ratione, (vt dixit Cicero) quoniam Neptunum è nando appellatum aliqui exiſtimabant, nullum eſſet nomen, quod non poſſent homines, vna litera mutata, explicare, vnde ductum ſit. Legi ego commentarium cuiusdam hominis. Hiſpani, de expugnatione Tunetis opidi; in quo ille etymon huius nominis, quod Hiſpani Tunes appellare ſolent, ſic explicauit: Dicit enim cum olim Poeni poſt euerſam à Scipione Æmiliano Carthaginem, opidum Tunetem condidiſſent, (ſic enim ille falſo exiſtimabat) & ſenes, qui adhuc ſuperfuiſſent, in memoriam reuocaſſent antiquam Carthaginis amplitudinem, & nobilitatem, quam noui opidi modica, & humilis ſtructura nullis ex partibus exæquaſſet, atque propterea dicere ſoliti eſſent, Tu ne es? ex hac ſenum interrogatiuncula nomen Tunetis, quod Hiſpani, vt dixi, Tunes appellant, originem traxiſſe. Hæc iccirco narranda exiſtimaui propter illorum imperitiam, qui ſibi licere putant, ex peregrinis linguis nomina deducere. nam hac ratione (vt dixit Cicero) nullũ erit vocabulũ, quod nõ omnia, quæ ipſi voluerimus, ſignificet, ſi eius originem deduci poſſe ex diuerſis nationum linguis arbitrabimur.

Vt

Vt vero ad Ioannem Annium, huius noui Beroſi interpretem, reuertamur. Siquis originem nominis Viterbij opidi, quæ illi patria fuit, legere in animum induxerit, quam in quæſtionibus Annianis (ſic enim, ſi recte memini, vocat,) longiore tractatu explicat, inuenies mera ægrotantium ſomnia, & ineptiſſimas explicationes, tortuoſis ſibi illarum ambagibus perſimiles, & plurima inutilia quæ parum ſubtiliter, nimiſq; frigide excogitauit, quo vetuſtam Viterbij opidi, vnde ille fuit, ſuſcitaret originem, & antiquam oſtenderet nobilitatem. Adde, quod nullus antiquorũ hunc Beroſum citat. Mitto, quod Ioſephus aſſerit, Græcos Noemũ nuncupaſſe Nochum, quàm iſte nouus Beroſus Iannum vocat, & eis colonias Ianigenas, quas nunquam auctor vllus grauis, & eruditus nominauit. nam Ianus filius fuit Iapheti. & frater germanus Madei, à quo Iones, & Helladici orti, & mare Ionicum appellatum eſt, vt idem tradit Ioſephus. Atque permulta alia conſultò prætermitto, ne in re tam teſtata, tot argumentorũ multitudine doctorum aures offendam. Exiſtimo enim pleniſſime oſtendiſſe me, hunc auctorem non fuiſſe Beroſum Chaldæum, patrem Sibyllæ Cumeæ, virum ampliſſimum, & variis diſciplinis excultum, ac multorum elogiis celebratum. quapropter contrahẽda iam vela ſunt, & in portu nauigandum, ſi prius oſtendero, quidnam ſenſerint, & quod iudicium de iſto auctore iampridẽ homines aliquot doctiſſimi fecerint: quo magis eluceat veritas, & ne vt ab aduerſario, ſic & ab aliis, vt acerbe, aut temerariè in hunc auctorẽ inuecti fuiſſe videamur. Raphael Volaterranus, primos Hiſpaniæ cultores narraturus, hæc præfatur. Gentis originem ab Orietalibus Iberis proueniſſe, Plinio placet: quibuſdam vero, à Phoenicibus, qui primo Gades incoluerunt. At Beroſo aliter, ſi modò verus eſt eius, qui fertur, libellus: Quem mihi veriſimile non videtur Plinium, qui eius alibi meminit, quoad hunc locum latuiſſe. Tubalem quendã ex Arameis, qui Perſæ ſunt, profectum in Hiſpaniam dicit: deinde Iberum ſuceſſiſſe, poſtea Idubedam, Brigum, Tagum, Batum, Geryonem, Hiſpalum, Herculem, Teſtum, Romanum, Palatinum, Cacum, Erythium, poſtremo Gorgorim, qui & Habis dictus &c. Sed Volaterranus, quanquam recte ſenſerit, hunc auctorem non eſſe rerum, Beroſum, tamen nõ per cautum, & diligentem rerum delectum aduerſus illum habuiſſe viſus eſt, cuius rei iudicium aliud tempus, aliumque locum poſtulat. Ludouicus Viues Valentinus in explicationibus librorum D. Auguſtini de Ciuitate Dei, ſatis apertè declarauit his ſubiectis verbis, quid de hoc auctore, & eius interprete Ioanne Annio Viterbienſi ſenſerit. ea ſunt huiuſmodi: Erat quidem ad manum libellus, quem Beroſi nomine vendunt bibliopolæ; erant alia quædã Ioannis Annij, quæ non dubito,

quin

quin admiránda fuiſſent viſa ſi attuliſſem, nempe portentoſa, & vel ſolo auditu horrenda, Sed ab illis prorſum abſtinui, ne de fece (quod aiunt) viderer haurire, hoc eſt è libellis friuolis; & incertorum auctorum, quos ad ſtupefaciendos imperitos lectores Græcia luſit otioſa: non quod, ſi Beroſi ſciuiſſem eſſe, non eſſem perquam libenter vſus, Sed quod mihi fætutam ſubolebat græci hominis, vt etiam Xenophontis Æquiuoca, & alia multa, quæ illorum non ſunt, quorum titulos præſe oſtentant. Qod ſi quis illis delectatur, non procul ſunt petenda; amet, & fruatur, ſiue me duntaxat riuale Hæc ille.

FINIS.

altheer. Utr. 1826. 1.4 = 2

cc KC 7/79

A-G^{8}, H^{4}, A-C^{8}

11709